Multiplex est effectus matrimonij, teste Ioan. de Burgo in pup. ocu. de sac. matrim. c. 1. 7. part. Nam ex quo coniugium inter fideles nunquam desinat esse vtroq; viuentem, hoc est, quocunq; casu (vt paulò supra dictum est) interueniente ante mortem, quoad vinculum est indissolubile, etiamsi alter efficeretur hæreticus, cæcus leprosus, aut quicquid huiusmodi ei eueniat, extra de diuor. quanto, & 32. q. 5. si vxorem. Nisi tantum fornicationis causa, & tunc si quæcunq; persona aliam dimiserit, ipsa maneat casta, hoc est sine coniuge, vel reconcilietur dimissæ 32. q. 1. dixit Dominus. Alius effectus est, quia mulier iuxta doctrinam Apostoli, potestatem sui corporis non habet, sed vir, & è contra. Ideo post consummatum matrimonium, alter eorum non potest aliquam religionem eligere eamq; ingredi, nec continentiam profiteri altero inuito, 32. q. 2. c. 1. & deinceps. Est & alius effectus, quia vir ad debitum vxori reddendum, compelli debet, etiamsi prius eam nunquam cognouerit & è contra, non obstante superueniente affinitate, ext. de eo qui cong. consang. vxor. suæ discretionem & c. tuæ. Quæ autem ipsorum de superueniente affinitate in causa non fuerit, monendus est vt contineat, si noluerit, aut non poterit, alter tenetur illi debitum reddere, sed nunquam exigere potest.

Sed vt summatim dicatur, effectus matrimonij sunt, reprimendi concupiscentiam & faciendi coniuges fideliter assistere & opera sua communicare, & prolem susceptam religiosè ad cultum

Dei nutrire & curidire, quia quodocunque diuinitus datur afflicti facultas aliquas, dantur etiam auxilia, quibus homo possit illa facultate uti.

Quæ differentia sit inter Matrimonium initiatum & consummatum.

Initiatum matrimonium dicitur consensus maris & sceminae, in præfenti habitus, quod sicut animo sunt vniti, sic copula (quoad copulam carnalem, quo ad propositum) legitimè vniantur, & secundum Amb. quod desponsatione initiatum, commixtione perficiatur, nisi aliter à Deo fuerit reuelatum. c. 2. de conuer. coniuga c. statutum cum c. seq. 27. q. 2.

Matrimonium verò consummatum dicitur, & est quod à principio definiuimus, & probatur d. 27. & 29. q. 1. cum similibus, & per tex. in l. 1. ff. de nuptijs, institut. de patria potesta. cum princip. iuncto §. final. & quæ ibi notat gloss. instit. de nup. c. 1.

Quæ & quot requirantur ad Matrimonium legitimè contrahendum.

Duo principaliter & essentialiter requiruntur ad contractum matrimonij. Primum est materiale & fundamētale, scilicet vt personæ sint legitimæ. Secundum est formale, scilicet consensus legitimus, id est, consensus integer exterius expressus inter præsentes secundum Caieta. cuius fundamentum est, dictum Sancti August. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.

Quæ personæ dicantur legitimæ.

Personæ hoc loco dicuntur legitimæ, non quod sint ex legitimo matrimonio procreatæ, quia spurij, & ex adulterio nati, possunt matrimonium contrahere, sed dicuntur legitimæ, vir & mulier, qui iure diuino, sacris canonibus, & legibus coniūgi & matrimonium contrahere non prohibentur, nec habent impedimenta dirimētia matrimonium, in quibus cum oporteat pastorem esse bene instructum: ea propter de illis impedimentis quàm fieri poterit breuiter inè tractabimus. Primum autem præmittemus quædam de sponsalibus, quæ frequenter matrimonium contrahendū sicut quoddam præambulum præcedere solēt, secū. d. Nico. in rub. de spon.

DE SPONSALIBVS,
DE SPONSALIBVS.
CAPVT II.

37

Quid sint & vnde dicantur sponsalia.

Sponsalia sunt conuentio & promissio futurarum nuptiarum siue matrimonij, 30. q. vi. nostrates, & dicuntur à spondendo, hoc est, promittendo in futurum. Nam antiquitus contrahentes matrimonij cautiones dabant, quibus spondebant se inuicem in iure matrimoniali consentire, & fideiussores dabant: Et debent sponsalia matrimonium præcedere, sicut præsens futurum. Vnde illi dicuntur sponsus & sponsa, inter quos est sola promissio de futuro, quæ est quiddam sacramentale ad matrimonium, sicut exorcismus ad Baptismum.

Sponsalia ad quid inuenta sint.

Sponsalia non sunt de essentia, siue de necessitate matrimonij, sicut nec exorcismus Baptismi, sed inuenta sunt de congruitate: primò ad fouendam & augendam amicitiam contrahentium. Vnde D. Augustinus ait. Institutum est, vt iam pactæ sponsæ non statim tradantur, ne habeat maritus vilem cito datam, quam non suspirauit dilatam. Secundò ad interim videndum, si sint aliqua impedimenta. Tertio, ne alicui fieret præiudicium, propter quòd ab Ecclesia ordinatum est, ne fierent clandestinæ desponsationes aut matrimonia.

*Promissiones nuptiarum & per consequens sponsalia, quor
modis fieri possunt.*

Promissiones seu sponsalia (quibus præparamentum fit ad Sacramentum matrimonij, ne quali illotis manibus ex abrupto ad eatur ipsum, sicut Cathéchismus est præparamentum ad sacramentum Baptismi secun. Vuil de Sacra.) fieri possunt dupliciter, scilicet absolute & sub conditione. Et sunt, inquam, sponsalia duplicia. Sponsalia de futuro & sponsalia de præsentibus.

*Sponsalia absolute de futuro quibus modis fiant, tam inter
absentes, quam presentes.*

Quatuor modis fiunt absolute sponsalia, vt Io. Vig. & Io. Cyn.

e 3 atq

atq; reliqui Doc. sentiunt Primò nuda promissione, vt cùm vir dicit puellæ. Accipiam te in vxorẽ meã, vt in c. pen. de despon. imp. & illa respondet, & ego accipiam te in virum meum, vel alia verba æquiualentia de futuro, vt du cam te, & similia, & tales promissiones siue Sponsalia dicuntur voluntarius actus de futuris nuptijs celebrandis. Secundò, datis arrhis sponsalitijs, dicuntur autẽ arrhæ, annuli, pecunia vel aliæ res puellæ, id est, sponsæ, datæ in confirmationem promissionis, l. arrhis C. de spon. Tertiò per subarrhationem vel annuli immissionem, 30 q. 5. scæminæ. Est enim subarrhatio desponsatio mutuo consensu interueniente, per immissionem annuli secun. D. Nic. in c. tuæ, de desp. imp. vbi vi. de annuli immissione Quartò, interueniente Iuramento, quod adhibetur ad confirmationem datorum, nec Iuramentum mutat significatum. Ideo ex sponsalibus non facit matrimonium. De huiusmodi sponsalibus videndum est qui possint contrahere sponsalia, & qui sint effectus sponsaliorum, quomodo confirmentur & soluantur, vt paulò post dicitur.

Inter absentes, fama vel aliquo alio modo inuicem notos, possunt etiam promissiones siue sponsalia de futuro fieri prædictis modis, per literas vel nuntium. Constat enim absentem absenti desponsari posse, si absens hoc sciat, puta quia nuntium misit, vel de conscientia sua fit, vel postea ratum habeat, quamuis de hoc ab initio nihil sciret 32. q. 2. honorantur, Ext. de ma. con. contra interd. Ecclesiæ c. ex literis. Et hoc quotidie fieri videmus, nec refert vtrum scriptura interueniat nec ne, c. veniens, qui cle. vel vouen. & c. ex parte. la. 2. de conuer. coniug. Et quando per procuratorẽ vel nuntium fiunt vel contrahuntur sponsalia, vt decidit Host. in tit. de sponsal. §. qualiter contrahantur, hæc verba videntur satis congrua, quod nuntius dicat puellæ, promitto tibi de mandato talis Domini mei, & nomine eiusdem, quod ipse ducet te in vxorem, & hoc in animam suam iuro, & contra puella respondebit nuntio, promitto tibi nomine domini tui recipienti, & illi per te, quod ego nubam illi, nisi per ipsum fletur, & hoc iuro.

*Qui & quo tempore possint contrahere
Sponsalia.*

**Regula generalis est, quod in Adultis (hoc est, post 14. annos in
ma**

DE SPONSALIBVS.

masculo, & 12. in fœmina) inter eos, qui non possunt contrahere matrimonium, non possunt esse sponsalia. Iuniores tamen qui non possunt contrahere matrimonium, possunt contrahere sponsalia in 7. anno, & non ante. Nam septennium est tempus determinatum à iure sponsalibus contrahendis, vt c. literas de despon. in pub. & rationabiliter satis, quia cum sponsalia sint quædam promissio futurarum nuptiarum, vt dictum est, ideo oportet vt sint illorum, qui aliquo modo promittere possunt, quod non est nisi illorum, qui habent aliquam pendetiam de futuris, quæ vsum rationis requirit respectu cuius notatur.

Triplex gradus.	Primus	} est	Cum homo neque intelligit per se, nec ab alio capere potest.
	Secundus		Quando homo ab alio capere potest, sed ipse sibi non sufficit ad intelligendum.
	Tertius		Quando homo ab alio capere potest, & per seipsum considerare.

Et quia (vt testatur Ioan. Cynho. in Arb. affini.) ratio paulatim conualescit in homine, secundum quod quietantur, motus & fluxibilitas humorum. Ideo primum statum rationis obtinet homo ante primum septennium, propter quod etiam nulli contractui homo illo tempore est aptus: & hoc est quod dicitur in sti. de inut. stipu. §. pupillus, vbi est tex Nā infans, & quia infanti proximus est, nō multum distat à furioso, quia huiusmodi ætatis pupilli nullum habent intellectum. Tale autē tempus infantia est, vsq; ad septimum annum, secun gloss. ibidem, & per consequens nec aptum erit sponsalibus. Sed ad secundum gradum vel statum incipit homo peruenire, in fine primi septennij, vnde & tunc temporis pueri in scholas traduntur, & bonis literis applicantur. Ad tertium verò statum peruenit homo in fine secundi septennij, quantum ad ea, quæ ad personam ipsius pertinent, in qua ratio naturalis citius conualescit. Sed quantum ad ea, quæ extra ipsum sunt in fine tertij septennij, & ideo quia ante primum septennium nulli contractui est aptus, ideo neq; ad sponsalia, & ergo talis ætas

non

non potest præueniri, cum in ipsa præsumatur discretio, sed ubi ætas certarequiritur respectu discretionis, illa præueniri non potest, vt apertè pater de ætate statuta ad perfectionem testamenti- vt legitur, & no. in l. qua ætate ff. de testa: facit ad hæc lex ad rem publicam ff. de mune; & hono: item per totum titulū C. quando tuto: & cura esse nisi malicia suppleret ætatem, maximè cum tentasset commiseri, vt in c. iuuenis de spon. & in c. 1. de delic. pue. Nam ante septem annos nihil agunt, nisi postea ratificent 30. q. 2. c. ubi non est. Sed in fine primi septennij incipit esse aptus ad aliqua promittendum in futurum, præcipuè de his ad quæ naturalis ratio incliant magis, non autem ad obligandum se perpetuò vinculo. Nam in ualidam, & adhuc firmam non habent voluntatem. Et ideo possunt tali tempore contrahi sponsalia. Sed in fine secundi septennij iam potest obligare se de omnibus his, quæ ad personam ipsius pertinent, vt vel ad religionem vel coniugium. Post tertium autem septennium potest homo se obligare de his quæ sibi vsui videntur, & secundū l. constituitur sibi potestas disponendi de rebus suis post 25. annum, vt prælibatus Cynholtz de sex ætatibus mundi in arb. affi. per optimè tractare videtur.

Utrum parentes pro filijs possint contrahere sponsalia, & contracta valeant.

Parentes vel fratres sæpè contrahunt sponsalia nomine liberorum, vel fratrum vel sororum, & illa valent, si scilicet persona, de cuius sposalibus agitur consenserit, vel præsens fuerit & tacuerit. Minis autem (vt fit) & terroribus compellendi filios aut filias, fratres aut sorores contra eorum voluntatem contrahere matrimonium malè imò pessimè faciunt parentes. Nam Bathuel (Gene. 24.) seruo Abrahamæ quærenti Rebeccam filiam suam pro Isaac, vocemus puellam ait, & quæramus eius voluntatem. Filij tamen & filia, nisi indignum moribus, vel turpem sponsum parentes elegerint, aut aliter inspirati essent à Deo, non debèt facile & temerè se opponere & cōtradecere parentibus qui, prudentiores sunt & magis solliciti de bono filiorum & filiarum quam ipsimet c. 1. de mat. contra. contra. inter. eccle. c. nec illud 30. q. 5. c. honorantur. 32. q. 2. Vnde & filia quæ ante 25. annos absq; consensu patris matrimonium contrahūt, iuxta Iohan. Vuigue. possant exheredari.

*Sponsalia verò per carnalem copulam quid
operentur.*

Præsumptione iuris, sponsalia per carnalem copulam, transeunt in matrimonium, etiamsi consensum non exprimant per verba præsentis, & in foro contentioso vxor eius iudicatur, quia maius est consentire facto quàm verbo. Et sic actus coniugalis sufficienter interpretatur & exprimit consensum de præsentis, nisi aliqua signa fraudis appareant, vt puta si sint multum distantis conditionis, quantum ad nobilitatem vel fortunam, vel aliud signum euidentis fraudis apparet. Sponsam tamè admittes, si credat se velle matrimonium consummare, à peccato excusatur & alius placat fornicando, & amplius fraudando. Ita & Host: dicit tit: de mati. § qualiter cõtrahat, ver: effuge. Si quis promiserit puellæ etiam per verba indiscreta, & talia quæ per se non sufficerent ad matrimonium, tamen si post illam indiscretâ promissionem sequitur carnalis copula, quod matrimonium præsumi debeat, per tex: in c. per tuas, de condit: appositis.

Quos effectus habeant sponsalia.

Sponsalia habent duos effectus. Primus est obligatio, quia ex tali promissione vnus obligatur alteri ad contrahendum matrimonium, sic quod peccat mortaliter, non soluens promissum, nisi legitimũ habeat impedimentum. Secundus est publica honestas siue publicæ honestatis iustitia, siue est propinquitas quædam ex sponsalibus proueniens, robur trahens ex Ecclesiæ institutione, propter honestatem inter consanguineos seruandam introductâ, propterquam nullus consanguineorum viri vsq; ad quartum gradum mulieri desponsatæ matrimonio copulari potest, nec etiam consanguineæ vxoris vir, vt infra dicitur & habetur in c. ad audientiam & c. sponsam, de sponsal. Extra & in c. ex sponsalibus eodem tit: lib, 6.

Quid & quæ sint sponsalia de præsentis.

Sponsalia de præsentis dicuntur quando de præsentibus nuptijs dispositè tractatur. Contrahentibus per verba de præsentis consentientibus. Verba autem consensum de præsentis importantijs varijs modis possunt proferri, videlicet. Promitto tibi quod sis vxor mea Item, tractabo te tanquam vxorem meam, Item, nemo
§ separabit.

separabit nos, excepta morte Item si vir dicat mulieri, ab isto tempore inantea, te pro coniuge tenebo, & sicut vxori fidem seruabo, & è contra. Item, promitto quod semper tibi prouidebo, sicut vxori, & mulier idem respondeat, Promitto quod non dimittam te pro meliori vel peiori. In talibus enim & similibus dubijs est semper pro matrimonio præsumendū & iudicandum c. fi. de re iudic.

Quibus verbis cum absentibus de præsentibus sponsalia contrahantur.

Inter absentes verò dicuntur contrahi sponsalia de præsentibus, quando contractus fiunt vtputa per procuratorem, sicut cōtraxit Isaac cum Rebecca 32. q. 2. §. cum ergo, Vel per epistolam, vt paulò supra de futuro dictum est, Per nuntium vel procuratorem possunt fieri hoc modo. Quod nuntius habens mandatum & exhibens, dicat puellæ, Talis Dominus meus salutatur te, & me mediante & nuntiante promittit tibi, quod accipit te in suam, & consentit in te tanquam vxorem. E contra poterit puella respondere. Et ego, te mediante, recipio Dominum tuum in meum, cum ipse me in suam, te mediante, recipiat, & in ipsum consentio tanquam in maritum. Vel poterit puella breuibus respondere his verbis. Consentio his, quæ mihi denuntiasti. Quæ itaq; personæ hoc modo contraxerint, dicuntur coniuges, etiam si copula nõdum est sequuta. c. Beata. c. coniuges, & c. coniunx 27. q. 2. Nisi mittens procuratorem seu nuntium ad contrahendum sponsalia nomine suo, reuocauerit mandatum suum ante consensum puellæ, tunc nihil agitur ar. ext. de procura. c. in nostra. & c. mandato.

Contracta sponsalia vtrum, quot & quibus modis possint dirimi.

Sponsalia semel contracta semper ligant, ita si postmodum cū alia contrahantur, & non sit processum ad carnalem copulam cū illa secunda, compellendus est vir redire ad primam. Si verò secundam carnaliter cognouerit, cū iam matrimonium dicatur consummatum, debet cum secunda manere, & non redire ad primam, ita etiam intelligitur, quando quis post talem contractum ingreditur religionem. In cæteris verò qui subnotantur casibus, absolueda & dirimenda sunt per iudicium & auctoritatem ecclesiæ.

Sunt

Sunt autem octo casus, quos Nic. de pla. & Guido de mon. Roch. Item Ioan. Vuig. & reliqui iuris canonici docto: ponunt & recensent, in quibus solvuntur sponsalia.

PRIMVS, si alter sponforum post desponsationem, copula carnali nondū consummata, trāseat (vt prædicitur) in religionē, mulier remanens in seculo, post vnius anni spacium, quasi post mortem viri, potest alteri nubere, quia religio est, iuxta Thom. in 4. dist. 27. q. 3. quædam mors ciuilis, vt habetur etiam extra de conuer. coniug. c. ex publico, & extra de spon. duorum, licet præter solitum.

SECUNDVS, quando sponsus se absentat per longum tempus in longinquis regionibus degens, vt in c. de illis. extra. de sponsa. & matri. leges tamen, quæ quoad hoc à canonibus non reprobantur, limitant tempus, scilicet triennium, infra quod, si venerit, tenent sponsalia. Si verò infra triennium non venerit, sunt dissoluta, & potest alteri licitè copulari, sed recepta prius pœnitentia deperiurio (vt prælibati docto: volunt) vel fide mentita aut non seruata, vt habetur extra: de spon. c. de illis autem.

TERTIVS, si alter eorum incurrerit lepram ignoratam, vel paralyfin superuenientem, aut etiam oculos, manus, pedes, vel nasum amiserit, vel quicquam sibi turpius euenerit, vt in c. literas, de coniug. lepro & c.

QUARTVS, si superuenerit affinitas, videlicet quando sponsus cognouit consanguineam sponsæ, vel è contra, ad hoc probandum sufficit sola vox & fama. extra. de consang. & affin. c. super eo.

QUINTVS, si mutuò inter se absoluerint, vt habetur extra de spon. c. præterea. Quidam tamen non recipiunt istum casum, unde dicunt quod decretalis allegatio, nō est decretalis, vel quod loquitur de promissione comparatiua.

SEXTVS, si alter eorum fuerit medio tempore fornicatus, per talem fornicationem sponsalia ritè solvuntur, iuxta Ioan. Neui-za. in syl. nup. lib. 2. nu. xj. quia tunc redditur alteri suspectus de fide postea non seruanda, vt habetur extra de iure iur. c. quemadmodum.

SEPTIMVS, si sponsus de facto cum alia contrahet per verba

f 2 de

de presenti, vel etiam de futuro cum copula carnali, propter maius vinculum seu pactum superueniens, soluantur tunc sponsalia, sed de periurio agenda est pœnitentia, vel fide mentita, vt ponitur, de spon. c. tua nos.

OCTAVVS, quando quis impubes contrahit sponsalia, & venit ad ætatem adultam, & petit absolui à vinculo sponsaliorũ, & dari sibi licentiam nubendi alibi, vt extra de despon. impub. c. de illis, & c. à nobis.

Summatim.

Casus in quibus sponsalia de futuro soluantur, tradit gloss. in c. sic quippe 27. q. 2. scribens hos versus:

Lepra superueniens, furor, ordo, sanguis & absens.

Lasiq; virginitas, membri damnum, minor ætas.

Hæresis ac lapsus fideiq; remissio prorsus.

Sponfos dissociant, & vota futuræ retractant.

Sunt & alia impedimenta videlicet vnum generale, alterum speciale. Generale est, quo prohibetur alicui, ne clam matrimonium contrahat. Concilia enim sacra & œcumenica, clandestinum matrimonium detestantur & prohibent, vt no. in Concil. Trid. sess. 8. de refor. mati. & Clandestinum dicitur matrimonium tribus modis, Primò, quando testes non adsunt c. quod nobis. de clandest. despon. Secundò, quando non fit cum solennitate requisita. c. aliter. 30. q. 5. Tertiò quando prætermisissis publicationibus, quas Banna vocant (one auffgebott) celebratur. c. cum inhibitiõ. de clandest. despon. & super duobus vltimis Episcopus dispensat. doct. in d. c. cum inhibitiõ. Speciale impedimentum reperies infra de tempo. in quibus non licet nup. celeb.

DE

DE IMPEDIMENTIS

49

Matrimonij.

CAPVT III.

Quæ & quapropter impedimenta sint non solum matrimonium contrahendum impediunt, sed etiam contrahendum dirimentia.

Sunt quædam impedimenta matrimonij, quæ sacra commemorat scriptura, Leuit. 18. vbi diuino iure prohibentur personæ aliquæ ne cõtrahant, Quamuis enim primi hominis filij & filiæ mutuo nupserunt, & postea Patriarcharum tempore, scilicet Abrahamæ, & Isaac, satis propinquè cognati fuerunt ad inuicem matrimonialiter copulati, attamen tunc temporis diuina institutio & personarum paucitas id exigebat, sed quoniam matrimonium post peccatum non solum ordinatum est ad generationem prolis, sed etiam propter confœderationem sanctam hominum, & amicitiam multiplicandam Cumq; homo diligit naturaliter suas consanguineas aut propinquas, & è conuerso, atq; naturaliter diligit vxorè, & eius cognatas propinquas, maior sit hominũ sancta confœderatio & maior multiplicatio amicitie, si accipiantur extraneæ, vel multum remotæ à sanguine, in coniugium, quàm si recipiatur de propinquo cognatæ. Et hæc est ratio, cur etiam in 3. & 4. gradibus ecclesia matrimonium prohibuerit, multiplicas impedimenta, vltra ea, quæ in Leuitico exprimuntur, quæ, vt eò facilius memoria commendari possint, notantur his versibus ante aliquot secula conscriptis.

Error, conditio, votum cognatio, crimen,

Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.

Si sis affinis, si fortè coire nequibis,

Hæc so ianda vetant connubia, iuncta retractant.

Vide latius Bonauenturam super 4. dif. 34. a. 1. q. 1.

De errore.

Error saltem personæ ex sui natura non ex constitutione ecclesie matrimonium dirimit, secundum Ioan. cuius ratio est. Nam

f 3

quic-

quicquid impedit causam, de sui natura etiam impedit effectum. Est autem error (vt in glo. c. 1. 29. q. 1.) quadruplex, scilicet personæ, fortunæ, qualitatis, & conditionis.

Error personæ dicitur, vt si quis putet contrahere cum Catharina & contrahat cum Bertha. qui error personæ vitiat matrimonium, quia non est consensus, vbi est error. l. si per errorem ff. de iurisd. omniū iudic: & errans nulla est voluntas. l. cum testamento, & l. non idcirco C. de iuris & facti ignor:

Error fortunæ & qualitatis, vt quia credebā, diuitem, pulchrā, incorruptam virginē, & huiusmodi, & non est sic, isti errores non impediunt matrimonium, quia non respiciunt substantiam matrimonij, alioqui serè omnia irritarentur 29. q. 1. §. his ita, & c. quæ admodum. §. ita de iure iur.

Error conditionis dicitur, quando quis contrahit cum serua, putans contrahere cum libra, non tenet matrimonium, ita & libera si ignoranter contrahit cum seruo, quod si sciret non contraheret. quia seruus non potest liberè potestatem sui corporis tradere alteri sine consensu domini sui. Pa. in 2. de coniug. seruo: Quod si seruus contrahit cum libra, quam putat esse seruam, vel econtra, talis error nec impedit nec dirimit matrimonium, cum errantis conditio melior fiat Et idem dicitur de seruo, qui contrahit cum ancilla, quam credebat liberam, & sic erratū est circa conditionem, valet tamen matrimonium, Nam non habet, quod obijciat ei parem exhibens conditionem. Ita iudicandum est de libero homine, qui contrahit cum libra, quam putat ancillam, quia non intelligitur deceptus, qui cum meliori contrahit quàm credebat. Præterea notandum est, seruum etiam ignorante imò etiā contradicente domino suo, contrahere posse, quia matrimoniū contrahere, est de iure naturali seruitus verò de iure positiuo, secundum Tho. 4. sen. dis. 30. ar. 1. & iuxta determinationē Ecclesiæ in c. 1. de coniug. seruo. Licet secundum pessimas leges ciuiles non possit, vt dicit Pa. in c. Proposuisti. secundo no. eo. ti. hoc itaq; modo contrahens seruus non tenetur reddere debitum, sed potius obedire domino, tamen posset accidere casus in particulari quod teneretur etiā nolente domino, vt propter periculum castitatis vel quando paruū vel nullū damnū ex hoc domino sequeretur. Bene
ergo

ergo sunt consideranda particulae circumstantia Vide Pa. in d. c. 1. de coniug. seruo: si seruus consentiente domino contraxerit, tenetur reddere debitum etiam domino contradicente secun. Tho. in 4. sen. supra, quia concedente domino matrimonium, concessa sunt omnia quae matrimonium requirit, & consequenter non potest dominus talem seruum vendere, taliter ut vxor priuatur debito, secundum Tho. in 4. sen. dist. 25 & Pa. in d. c. 1. praesertim glos. extra de con. ser. c. 1. Nec vir potest taliter seipsum vendere, ut vxor priuatur debito, quod si illa non consentiente seipsum maritus vendiderit nihil praesudicat matrimonio, cum seruitus superueniens non dirimat matrimonium contractum, & sic poterit vxor petere debitum & ille tenebitur ad omnia quae requirit matrimonium, secun. Tho. 4. sen. supra ar 3. vxor vero nullo modo potest sic seruum facere.

Porro si quis ignoranter duxerit seruum, & antequam sciuerit conditionem seruillem, eam accedit affectu maritali non potest ea postea bona conscientia dimittere, nisi secundum legem, ut tenet Th. supra, & Pan. in c. 2. de coniu. ser. Si vero eam non tanquam vxorem, sed propter delectationem &c. cognouerit carnaliter, secundum ius canonicum non dimittat eam c. inquisitioni, de sen. ex. & d. c. 2. In conscientia autem non est eius vxor nisi de nouo simul consenserint, nec debet ei reddere debitum etiam ecclesia praecipiente, quia fornicaretur secun. Tho. supra. Et ecclesia si hoc praecipiat, facit, quia non iudicat, nisi de his quae foris apparent, & quia latet, quo affectu talis accesserit ad eam, ideo ecclesia potest hoc praecipere, sed ipse non tenetur debitum reddere, & haec est sententia optimorum doct. Nec potest eam propria auctoritate relinquere quando contraxit in facie ecclesiae secun. Ric. in 4. quando reperit eam seruum. Quidam tamen ut Host. dicunt, quod potest, quando seruitus est notoria. Melius tamen videtur secundum Bartho. su. ut per Ecclesiam dissoluatur. cum in facie ecclesiae sit facta.

De conditione.

In matrimonio consensus non semper dicitur esse purus & absolutus, sed etiam conditionatus secun. D. Nic. c. 1. de condi. appo. & ideo si conditio licita appositae fuerit in matrimonio vel alio contractu, nisi seruetur non est matrimonium, nisi saltem fuerit

rit

rit recessum per subsecutū consensum purum de præsenti, vel per carnalem copulam subsequenti, c. super eo. & c. per tuas. eo. ti. Licita autem atq; honesta conditio apposita in matrimonio dicitur, vt si puella contraxerit ea lege, si pater völuerit, si pater nolit consentire, nō valet matrimoniū d.c. super eo. de conditio: appof. Si tamen (vt prædicitur) à conditione recessum fuerit, valebit matrimonium, vtpote si pater permiserit, vt alius iliam ducat d.c. per tuas. de condi. appof. Item si non valent sponsalia, non teneor sponsam accipere c. per illis, de condi. appof. & melius esset nō contrahere quam contrahere, & in huiusmodi contactu rapere mulierem & infinitos processus ad illam promissam pecuniam habendam excitare, de quo Pet. Rebuff. in sua praxi prædicta. Conditio si fuerit aliqua contra substantiam matrimonij, vitiat contractū, secus si alias fuerit impossibilis & illicita, quia habetur pro non apposita. c. 1. & 2. vlt. de condi: appo. Hippoly: consi. 286.

De voto.

Votum suo nomine obligationem quandam exprimit ex voluntate factam, Et quia voluntate non potest aliquis obligari, nisi ei, qui est voluntatis cognitor, quod solius Dei est. Ideo ex consequenti importat obligationem Deo factam, & circa huiusmodi obligationis vel voti impedimentū diligenter notandū est, quod de voto continentia, siue de voto castitatis intelligitur. Et est votum continentia simplex & solenne. Simplex impedit matrimoniū contrahendū sed non dirimit iam contractū. c. vnico de voto in 6. dis. 27. per to. in. tex & glo. S O L E N N E. verò iuxta doct sententiam. impedit contrahendum & dirimit iam contractū. Votum quomodo solenne sit olim vehementer altercabantur doctores, sed pet Bonifa. 8. declaratur hodie, extra de extra de voto. et voti redemp. c. Vnico. lib. 6. vbi dicitur quod votum solennifatur quantum ad dirimendum matrimonium duobus modis. Vno modo per susceptionem sacri ordinis scilicet subdiaconatus diaconatus & presbyteratus. Alio modo per professionem expressam vel tacitam factā alicui de religionibus approbatis. Vnde sancta Synodus Tridenti nuper celebrata, d. sess. 8. de sac. ma. Cano. 9. hisce verbis expressit. Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solenniter professos, posse matrimonium.

nium contrahere, & contractum validum esse. non obstante lege ecclesiastico vel voto &c. Anathema sit, plura in d. c. vincio. Quia per tale votum homo amisit proprii corporis potestatem, & viola- uit fidem Deo datam, teste Ar. flo. 3. parte tit. 1. cap. 5. & Bartho. fu. cap. Matri. §. 8. §. 55.

Quartum impedimentum est cognatio, & quia, est prolixius ceteris, vltimo tractabitur.

De crimine.

Crimen, iuxta Ar. flo. 3. parte, tit. 1. c. 5. & reliquos iurisprudētix docto. claris. multiplex est primum si qua mulier machinata fue- rit in montē vxoris alicuius & ipsam cum effectu occiderit animo habendi virum illius in suum similiter intelligitur de viro, tales si contraxerint, sunt penitus separandi, quia in fornicatione sunt, 31. q. 1. Si quis viuenti &c. laudabilem, de conuer. infi. Verissima etiā opinio est Inno. & Host. dicentium, quod sola machinatio mortis cum effectu, etiam absq; adulterio dirimit, vel sufficit ad dirimen- dum matrimonium. Vnde si quis præcepit vel mandauit vel cōsu- luit interfici, eo scilicet animo, vt haberet vxorē illius in suam, vel virum in suum, etiam si hoc faceret propter infidelem, quam po- stea induceret ad fidem & conuerteretur, secundum Guil. & Hug. impedit tamen & dirimit matrimonium. Hoc quod quidam li- mitare soleant, & illa limitatione, quare non admittenda sit, legi- tur apud D. Caie. in summul. pec.

Alterum crimen est homicidium, per machinationem quidem perpetratum, non autem intentone contrahendi, sed alia de cau- sa, vt in bello, casu rixa vel odio, hoc non impedit nec dirimit con- tractum. Quapropter si quis hoc modo alicuius mulieris virum occiderit, eo mortuo, poterit iustē eius relictam vxorem ducere, modò relictā non fuerit particeps homicidij, per tex. in de c. 1. de conuer. infi. & quæ ibi notantur.

Tertium dicitur quando adulterantes præstant sibi fidem pro- mittendo vel dando siue iurando, quod contrahent post mortem alterius coniugis legitimi. Vt cū Bertha vxor Petri dicit Anthonio quod post mortem Petri accipiet ipsum in virum, & dat fidem per- mittitq; se carnaliter cognosci ab Anthonio siue enim promissio.

g

hæc

hæc præcedat siue sequatur adulterium, nunquã inter hos adulteros potest esse matrimonium etiã mortuo Petro. c. si quis vxore, de eo qui du. in ma. quam pol. per. adul. & c. relaüt, & c. seq. 31. q. 1. & in omnibus d. c.

Quartum quod subijcitur prædictis, crimen est, quando quis durante matrimonio contrahit de facto cum altera, vt Petrus habens vxorem, contrahit de facto cum alia sciente ipsum esse vxoratum, & cognoscit illam, siue adulterium præcedat talẽ contractũ, siue sequatur inter Petrum & adulteram prædictam, cum qua de facto contraxit stante primo matrimonio, imò etsi adultera antea nescierit, solũ postea adhuc viuẽti legitima vxore permisit se cognosci à Petro, cũ quo de facto contraxit, & si mortua tandẽ prima vxore de nouo fieret contractus, tamen nunquam poterit esse matrimonium, de eo qui du. in matrim. quam pol. per. Adul. c. significauit, c. ex literarum, & c. si quis. Si verò adultera, vel è contra nesciuerit Petrum esse vxoratum nisi primum post mortem vxoris eius propriã potest si vult contrahere cum Petro, quoniam mulier ipsa non commisit adulterium formaliter, putabat enim Petrum esse suum verum maritum, extra de eo, qui du. in mat. c. 1. & c. veniens, & de coniung. ser. c. proposuit 34 q. 2. si virgo.

Neq; hoc est prætereundum, quod ponit Ar. flo. loco supra allegato, si mortua iam prima vxore, vir non cognoscit illam secundam adulteram carnaliter, quã secum ignoranter contraxerat, sed ipse ducat tertiam, secundũ Host. debet remanere cum tertia, Quamuis etiam postea cognoscat secundã, quia prima viuente, consensus habitus cũ secunda, nullus fuit, & sic non impediuit consensũ tertiã, quinetiam si post mortem primã cognouit carnaliter secundam, quã fuit ignorans istum habuisse vxorem, & nũc etiam ignorans est, & ipse vir contrahit cum tertia, adhuc remanebit cũ tertia, Reliqua apud prædictum docto.

De incestus crimine.

Incestus propriè dicitur consanguineorum vel affinium proximorum abusus. Vnde incestuosi sunt, qui consanguineis & affinibus abutuntur, c. lex illa, ver. incestus 36. q. 1. hic impedit matrimonium sine dispensatione, cũ alijs personis non prohibitis contrahendũ

contrahendum, sed non diu iam contractum, c. transmissa, de eo. qui cog. consa. vxor. suæ. Et an Episcopus possit dispensare, scribit Pa. in c. 1. ibidem, non posse, quando verè commissum est crimen incestus, id est cum proprijs consanguineis vel affinis. nisi ratione iuuentutis. c. si duo, in fi, 35. q. 6. Secus si crimen esset commissum cum consanguinea sponsa, & sic non esset verè crimē incestus, c. 2. illo tit. Hæc Petrus Rebuff. in sua praxi benef. in regul. de dispen. in grad. prohib. gloss. 5. plura apud Ar. flo-

Qui sint incestuosi iure ciuili.

In iure ciuili numerantur sequentes personæ pro incestuosus primò coniunctio inter ascendentes & descendentes l. finali. ff. de ritu nuptiar. Secundò frater, foror, fratris vel fororis filia, neptis fratris vel fororis amita, matertera. §. inter eas, cum duobus. §. §. sequentibus, instit. de nuptijs. Inter affines, autem hæc numerantur, vtputa cum priuigna, nuru, socru, vel nouerca. l. si adulterium cum incestu, in princip ff. de Adulter: §. affinitatis, instit. de nup. & illæ ipsæ personæ quoq; Leuit. 18. sunt Prohibitæ. Sunt autem & aliæ prohibitæ, patruus & eius vxor, patris vxor, vxoris filia, filia filij vxoris.

Qui sint incestuosi iure Canonico.

Canones præter prædictas & sequentes inter incestuosas posuerunt, vt vxoris sororem, mariti patrem, consobrinam, relictam auunculi, filiam auunculi. c. si quis viduam c qui dormierit c. concubisti. c. si quis cū nouerca 32. q. 7. Reliqua apud clariss. D. Melchiorum Klinge: in Tract. causa: Matr. fufissimè tractantur.

De raptu & eius consiliarijs.

Sancta Synodus Tridentina d. sess. dec. 6. decreuit interraptorem & raptam, quàm diu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta, à raptore separata & in loco tuto & libero constituta, illū in virum habere consenserit, eam raptor in vxorē habeat, & nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxiliū, fauorem prebentes, sint ipso iure excommunicati ac perpetuò infames, omniumq; dignitatū incapaces. Et si clerici fuerint de proprio gradu dicitur. Teneatur præterea raptor mulierem raptā, siue eam in vxorem duxerit, siue

g. ij non,

non, decenter arbitrio iudicis dotare. Dicitur autē Raptus, quando quis uxorem vel sponsam de presenti alterius abducit & violat, vel altoqui per vim corrumpit.

De disparitate cultus siue Religionis.

Principalius bonum matrimonij est proles, ad cultum Dei educanda, vt supra. Hæc autem educatio fit communiter per patrem & matrem, sic quod vterq; secundum fidem intendat ad cultum Dei prolem educare, & ideo si sunt diuersæ fidei, intentio vnius, alterius intantioni erit contraria, & ita inter eos non potest esse conueniens matrimonium. Quapropter disparitas cultus præcedens matrimonium, vt supra, impedit ne possit contrahi. Nam manifestum est & pium, quod Christianus debeat & teneatur ducere Christianam, non Iudæam, neq; Saracenam aut gentilem, c. caue, & c. seq. 28. q. 1 & huiusmodi casu nec papa dispensare solet, in quo secun. Ar. flo. tria puncta sunt notanda. PRIMVM quod fidelis contrahens cum iudæo vel pagano vel catechumeno nondum baptisato, nõ est verum matrimonium, & sic est nullum, 28. q. 1. §. ex his. Sponsalia quidem possunt contrahi à fideli cum infideli, hæc adhibita conditione, si infidelis conuertatur 28. q. 1. c. nõ oportet. SECUNDVM est, quod Catholico contrahente cum hæretica persona baptisata, verum est matrimonium nec dirimitur propter hæresin, quamuis peccet scienter contrahens cum tali c. caue. 28. q. 1. Similiter fideli cõtrahente cum fideli per verba de presenti, quantumcunq; alter eorum efficiatur hæreticus, Iudæus vel paganus non potest dirimi matrimonium, Ar. flo. vt supra c. 6. TERTIVM est quod infidelis cum infideli contrahere potest matrimonium, quamuis non sit perfectum, secundum perfectionem gratiæ nec ratum, ideo potest legitimè dissolui, si alter coniugum conuertatur ad fidem. extra de diuor. c. Quanto & c. quæsiuit. Nihilominus est matrimonium in quantum est ordinatum ad prolem secundum naturæ perfectionem, vnde infidelis cognoscens uxorem propter bonum prolis, vel vt reddat debitum, non peccat. Tho. in 4 & 26. dist. deinde. Si verò alter infidelium coniugatorum conuertatur, potest fidelis conuersus cum infideli permanere sub spe conuersionis, vbi eum non viderit infidelitate obstitum,

tum, & benè facit commanere, Non tamen tenetur, sed potest eã dimittere, quantum ad cohabitationem, sed non potest alteram ducere, nisi in tribus casibus. Primus est si infidelis noluerit cohabitare cū infideli. Secundus si vult cohabitare, sed non sine contumelia creatoris Tertius si infidelis fidelem niteretur pertrahere ad infidelitatē. Per quēlibet horū casuū soluitur vinculū matrimonij etiam antequam contrahatur aliud matrimonium, & filij in infidelitate procreati vsū rationis habentes, dantur parenti conuerso, qui vero rationis vsū habent, possunt sequi quem volunt. c. ex literis de conuer. infi. Nullus enim ad fidem inuitus compellitur, quia credere voluntarium est

De vi compulsua.

Vis, id est violentia, siue sit absoluta, vt coactio, siue violenta, quę est per metum cadentem inconstantē virum, sicut metus mortis, cruciatus corporis, seruitutis & stupri. Vnde versus:

Excusare metus hæc posse putat, quia nescis.

Stupri siue status verbis atq; necis,

Et aliorum, quę etiam homo constans timeret. Hęc enim vis de sui natura, sine constitutione Ecclesię impedit matrimoniū, & dirimit contractum, quia excludit consensum liberū, qui solus facit matrimonium Nam vbi metus vel coactio interuenit, non potest consensus habere locum, extra de spon. c. cum locum. 27. q. 2, sufficiat Vnde ecclesia vult matrimonia esse libera, secun. Tho. 4. sen. dif. 19 ar. 2. Pa. in c. cum locum de spon. Si tamen postea tacite consenserit rectificatur matrimonium, dummodo perseuetet consensus alterius alter non tenet etiam si confirmauit iuramento, vel permisit se cognosci carnaliter, si non consentiat de nouo, primus enim consensus non valet, etiam si voluntariè consentit, non tenet, quia hoc non fuit purè voluntarium, sed mixtum cum violentia, & sic ex statuto Ecclesię non valet, hoc pastores benè notare debent, propter multa matrimonia, quę fiunt tali metu & nunquam postea rectificantur. Bar. fu. c. ma. s. 41. & pet. Rebuff. loco præcitato.

De ordine sacro.

In sacris ordinibus constituti, sacra vasa & sacramenta, & non carnes hircorum. boum, vel agnorum, sed verum corpus & sang-

fanguinem Christi tractantes, decens est, vt mundiciem corporalem per continentiam seruent, si verò contraxerint, fiunt irregulares & debent separari, c. i. qui cle. vo. Sunt autem ordines duplices. Quidam minores, vt ostiarius Lectoriatus, exorcistatus & Acolitatus, horum nullus impedit matrimonium contrahendum. nec dirimit contractum. Clerici igitur in minoribus ordinibus constituti, benè possunt contrahere, si non sint religiose professi, tacite vel expresse. Alij sunt maiores, scilicet Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, isti impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt iam contractum, quia in istis ordinibus existentes, habent ex cõstitutione ecclesiæ, solenne votum continentiae, extra, vt qui cleri. vel vouen. d. c. i. & de voto & voti redemp. c. Quod votum libr. 6. Ideo si tales contrahunt, matrimonium nullum est, dil. 32 si quis eorum, & c. erubescant. Ad hoc verum est, vt etiam Græco, cui licitum est vti contracto, in sacris constituto, iam non licitum sit contrahere, secundum Io. an. in nouella, & plures alios. Et Ric. in 4.

De Ligamine.

Ligamen vocamus hoc casu præsens matrimonium, quod inter maritum & vxorem, qui ambo in vita sunt, consistit. Nam illi coniuges ita ligati sunt, quod vir aliam mulierem, & mulier alium virum super inducere non possunt, & si super induxerint, matrimonium nullum est, etiã si alter eorum in alienas regiones recesserit, nihilque de vira & morte auditum fuerit, debet persona cum altera contractura expectare quousque sufficientem notitiam habuerit de morte vel de ingressu religionis illius personæ, cum qua ante formaliter per verba de præsentia contraxit, etiam matrimonio nondum consumato. c. licet, de spon. duo.

Quidam dicunt quod sufficit expectare per septennium, sed hoc reprobatur Ar. flo. vt supra cap. 9. Nullum enim tempus ait est præfinitum, & dubitanti de morte cõiugis, non sufficit expectare per septennium, sed expectare certitudinem mortis. c. dominus, de secun. nup. in præsentia, de spon. Contrahens itaque cum alio, adulterium committit, extra de spõ. duo. c. licet. Sed nec antiquo tempore potuit fieri nisi diuinæ reuelationis instinctu, vt fuit in patriarchis extra de diuor. gaudemus. Potest tamen vna coniugum,

gum, altera inuita, ingredi religionem, sed ante copulam carnalem, hoc est matrimonio nondum consumato, & remanens in seculo post ingressum religionis, & elapso vnus integri anni spacio facta, scilicet professione, potest nubere, cui vult libere, vt supra de sponsalibus. Pari modo post mortem alterius coniugis, potest alter nubere cui voluerit, etiam intra tempus luctus sine pœna infamiae. Ar. Flo. vt supra. Si verò vxor crediderit ex probabili causa virum mortuum, & contrahit cum alio, secundum Ray. propter ignorantiam facti excusatur, & filij, quos suscepit iudicabuntur legitimi. Vir tenetur quoque eam recipere, vt patet in prædictis. c. Nisi fortè illa, postquam sciuit de vita primi viri, permiserit se cognosci à secundo, de huiusmodi certitudine iudex diligenter consideratis circumstantijs, vtrum sit certum vel non, iudicet, iuxta Pan. in d. c. in præsentia. Hæc est materia & conclusio totius istius quæstionis 34. q. 2.

Ita & vir, si ad Sarracenos cum exercitu, aut in regionem longinquam, peste grassante se cõtulerit, & nescitur vtrum viuus vel mortuus sit, secundum Ray. vxor non potest contrahere cum alio, nisi prorsus certa sit de morte viri, vt puta quia fuit in bello, vbi secundum communem famam omnes dicuntur interfecti, & per iustum tempus non fuerit contrarium auditum, & Certum dicitur, quod per violentas præsumptiones habetur, vt quia in acie fuit, & alijs redeuntibus ipse non venit, vel quia per amicorum literas constat, vel huiusmodi. Et si contraxit & est dubitans, debet reddere debitum, sed non exigere, periculo adulterij se exponendo. Si postmodum pro certo sciuerit primum esse superstitè, confestim dimittat secundum, & redeat ad primum, in d. c. dominus, nisi hoc fecerit, reputabitur adultera 34. q. 2. cum per bellicam & c. cum in captiuitate.

De publica honestatis iustitia.

Publicæ honestatis iustitia est secundum Thom. in 4. sen. dist. 41. q. 1. ar. 1. propinquitas ex sponsalibus puris & certis proueniens sine copula, robur trahens ab ecclesiæ institutione, propter eius honestatem. Ecclesia enim iudicauit honestum, vt nunquam accipiat quis sui consanguinei viui vel mortui sponsam, cum in ma-
trimo-

trimonijs non tantum spectetur quod liceat, sed etiam quod honestum sit. l. semper. ff. de ritu nuptiarum in c. vnico in ver. publicè. Item Ar. Flor. & alij de sponsal. Quod igitur matrimonium impediatur, habet ex statuto ecclesiæ c. continebatur, de despon. impub. & c. iuuenis de sponsal. Et impedit vsque ad quartum gradū, sicut affinitas & consanguinitas siue sint pura & certa, siue sint nulla ex causa cōsanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis, vel alia causa, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, vtpote facta ab infante vel furioso, secundum quod fuit determinatum post S. Tho. in c. vnico. de spon. lib. 6. Quapropter iustitia publicæ honestatis vetat illos, inter quos sunt vel fuerunt sponsalia pura & certa, posse cum consanguineis alterius partis, vsq; ad quartum gradum contrahere.

Vnde Titius mortua sua sponsa vel etiam viuente non potest cōtrahere cum aliqua consanguinea suæ sponsæ vsq; ad quartum gradum, neq; sponsa cum consanguineis Titij, secus quando non essent vera sponsalia ex defectu consensus, vel conditionata conditione suspendente actum, de quo Ar. flo. loco supra citato, c. 10. pendente enim conditione, vir, si cum alia consanguinea illius contrahit per verba de præsentij, debet remanere cum secūda, quia ex sponsalibus conditionatis, sicut ex non habentibus consensus & incertis, non oritur publicæ honestatis iustitia, extra de spon. c. 1. lib. 6. vel incerta, vt si in genere promisit ducere filiam Titij, qui Titius plures habuit filias. Vide hæc in d. c. vnico & d. c. iuuenis, & c. sponsam. de spon. Et idem dic. imò magis de matrimonio non consumato secundum Pan. in d. c. sponsam. & d. c. iuuenis.

Et sic patet, si quis contraxit cum vna sponsalia de præsentij vel de futuro, quod postea nunquam & sic nec in vita nec post mortem illius, cum eius consanguinea infra quartum gradum contrahere potest, etsi contra publicæ honestatis iustitiam aliqui contraxerint & perseverauerint, non est matrimonium, & taliter contrahentes non sunt mariti & vxores. Liberi etiam exinde nati non sunt legitimi. Et hoc verum, si scientes publicam honestatem subesse, contraxerunt, c. referente. Qui filij sunt legit. Secus quando dispensatio Apostolica superueniat, tunc liberi exinde

beri exinde nati erunt legitimi, & admittuntur ad successionem.

De impotentia coeundi.

Impotentia quæ secundum Host. in titu. de frig. & malef. ver. quid sit, & vitium animi vel corporis vel vtriusque, quo quis impeditur alteri commisceri, hoc est, non potest coeuratione frigiditatis naturalis vel accidentalis, quia est castratus, aut ex debilitate vel siccitate membri, vel quia non potest emittere semen, tunc illa frigiditas perpetua vel in muliere, si sit arcta (quod rarum est) impeditur matrimonium & dirimitur iam contractum c. 3. c. Laudabilem & c. fraternitatis, & per totam de frig. & maleficia: & d. Host. s. fin. in summa illius titu. Nam omnis contractus in quo quis se obligat, ad dandum id, quod dare non potest, est nullus, sed per matrimonium aliquis se obligat ad copulam carnalem, & reddendum debitum, si ergo illud reddere non possit, non est matrimonium. Et licet copula carnalis non sit de essentia matrimonij, tamen potestas ad illam, est de eius essentia, vnde in c. quod sedem, de frig. & malef. dicitur. Sicut puer, qui non potest debitum reddere, non est aptus coniugio, Sic qui impotentes sunt, minimè apti sunt ad contrahenda matrimonia.

Verum dispensandum sit in hoc impotentia vitio.

In hoc nulla postulatur aut datur dispensatio, potest tamè mulier remanere tanquam socia apud virum si voluerit, vt videtur apud Cathurcas c. consultationi, de frigidis, vbi, qui scit impedimentum & contrahit, non potest deinde conqueri.

Quid si frigiditas post consummatum matrimonium superueniat?

Si tamen frigiditas superuenierit post consummatum matrimonium, non dirimet ipsum, vt not. in c. fraternitatis. & ibidem, & in c. 1. & per totum 33. quæst. 1. Quia nihil aut tam humanum est quàm vt fortuitis casibus mulieris maritum, vel vxorem viri participem esse. *l. si cum dotem. s. si maritus. ff. soluto matrimo-*

h

Qua

Qua sit differentia inter frigidos & maleficiatos.

Differentia secund. Barto. fu. inter frigidos & maleficiatos hæc est, quod frigidis post separationem matrimonij non datur licentia nubendi alteri, quia frigidus vni, est frigidus alteri Maleficiato autem datur licentia nubendi cui velit, quia licet non possit cum vna, poterit cum alia, hoc enim experientia sæpe probauit.

Quomodo & quando ob frigiditatem vel maleficium separatio fieri possit.

Si impotētia coeundi proueniat ex causa intrinseca, hoc est, ex maleficio quod est ligamen quoddam à Demone proueniens Deo permittente, quo vir & vxor à carnali copula impediuntur, (35. q. 1. si per sortiaras) dicendum est, si maleficium sit temporale, nõ dissoluit matrimonium, sed si perpetuum, ita & frigiditas, Vnde statutum est ab ecclesia, ad experiendum vtrum sit perpetua frigiditas siue maleficium, tempus triennij. Quomodo autem intelligatur & computetur illud triennium, vide Pa. c. quod sedem & c. si. in fine de frigidis.

Vtrum omnes casus impotentia coeundi, regulis valeant comprehendi.

In hoc negotio, quod ad impotentiam attinet, videndus est Host in d. loco. §. qualiter ver. quid si vir, quia impossibile est omnes casus, qui naturaliter vel accidentaliter emergunt, comprehendi sub certis regulis. Igitur iudex ex officio inquirere debet, an vir, de impotentia accusatus aliam cognouerit, c. fin. eod. Et an mulier virgo sit, & considerabit circumstantias, qualitatem, famam & statum personarum, & causam si discernere non poterit, consulat superiorem, item medicos & secundum ipsorum consilia procedat.

De cognatione in genere.

Quid & quottuplex sit cognatio, & quæ eius partes.

Cognatio est triplex, videlicet, naturalis, spiritalis & legalis. Naturalis de qua statim dicetur, tollit matrimonium & impedit vsque

vsque ad quartum gradum inclusiuè inter consanguineos & consanguineas & affines. Vnde Burcha. in suo decreto libr. 7. cap. 22. si quis neptem suam in coniugium duxerit, anathema sit, et si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit in coniugium duxerit, anathema sit.

Spiritualis autem cognatio secund. Abb. dicitur quædam propinquitas seu attinentia proueniens ex Baptismatis siue confirmationis sacramentorum datione, vt in baptifante vel confirmante, vel ad ea scilicet sacramenta detentione, vt patrino & eius filio carnali, qui ex hac detentione fit frater spiritualis filioi patris carnalis. Et hæc cognatio spiritualis imitatur naturalē seu carnalē cognationem, quantum potest. Vnde sicut naturalis cognatio oritur per natiuitatem, quæ consistit in carne, ita & spiritualis per natiuitatem quæ consistit in spiritu. Talis cognatio tollit matrimonium secundum tres tantum lineas, videlicet inter tenentem ad Baptif. vel Chrisma & baptifatum aut confirmatum, ita quod inter parentem spiritualement & filium vel filiā spiritualement non potest esse matrimonium, & pariter inter baptifantem aut confirmantem, & baptifatos, vel confirmatos, secund. Caic. in sum. Idem dic de vxore tenentis ad baptif. si eam cognouit per confirmationem matrimonij. Secunda linea est inter compatrem & commatrem. Tertia inter fratres & sorores spirituales, id est, inter filios tenentis & tenentis, siue sint legitimi, siue non, dum modo sint naturales, non autem si sint adoptiui, de his vide c. 1. & seq. 30. q. 1. & c. 1. cum seq. de cognat. spiritual. Item Ar. flo. & Bart. fu. præallegatis locis.

Legalis cognatio est adoptio, per quam si soror mihi esse coeperit, quam diu durat adoptio inter me & ipsam, nuptiæ consistere nequeunt, de qua etiam habes titulum de cognatione lega. de eadem præterea habetur & non apud Tho. 4. sen. dif. 42. q. 2. ar. 2. & Pa. in c. 1. eod. tit. in gl. & c. ita diligere, 30. q. 3.

Cognatio naturalis quid & quotuplex sit.

Cognatio verò naturalis duplex est, videlicet consanguinitatis & affinitatis. Dicitur autē consanguinitas vinculum personarum ab eodem stipite descendētium, carnali propagatione contractū, omnes enim homines ab eodem stipite carnali propagatione descendunt, scilicet ab Adam. Ex hac definitione per plures sequi volunt,

volunt, omnes homines indifferenter esse adinuicem consanguineos, quomodo autem hoc solvatur docet d. Cynholtz in Arb. cōsang. Quare Aso. in sum. insti. de gra. cautius definit consanguinitatem dicens. CONSANGVINITAS est viaculum personarum ab eodem stipite descendendum, infra septimam generationem propagatione contractum.

Stipes quid sit.

Est autem Stipes illa persona, à qua aliæ duxerunt originem, sicut ADAM fuit stipes Cayn & Abel, & filiorum, qui ab eis descenderunt.

Vnde dicatur consanguinitas.

Consanguinitas dicitur quasi sanguinis vnitas. Nam consanguinei habent convenientem sanguinem, eò quòd de vno sanguine descenderunt. Vnde non modò illi, qui in matrimonio, sed etiam extra matrimonium (vt sunt spurij, siue vulgo quæsitij) consanguineos habere intelliguntur, sed tales, agnatos non habent propriè de iure ciuili.

Ius agnationis à quo descendat.

Ius enim agnationis à patre descendit, hoc est oritur ex linea Masculina, & illa tantum habet locum in his, qui in matrimonio nati sunt. Quia pater est, quem nuptiæ demonstrant. l. quia semper ff. de in ius vocando, & l. si spurius ff. vnde agnati, Betteru.

Ius verò cognationis à quo oriatur.

Ius verò cognationis descendit à matre. l. Iurisconsultus. §. cognationis origo. ff. de gra. quæ mater semper certa est. l. quia semper. ff. de in ius vo. & ideo tales filij retinēt iura sanguinis, quia sanguis non mentitur. d. l. Iurisconsultus. §. nomen. & §. seq. Neque distinguitur an tales sint, producti ex coitu vxoreo, vel fornicario, sicut videtur expressum in c. per tuas. de probat. cum pater tales filios ex illicito coitu natos, etiam naturaliter genuit, Vnde cognati, Ohemen.

Quid Linea sit.

Linea est personarum collectio, ab eodem stipite mediate vel immediate descendendum, gradus continens & numeros graduum distinguens.

Gradus quid sit.

Dicitur verò gradus habitudo distantium personarum, quæ cog-

cognoscitur, quo ta agnationis vel cognationis distātia, duæ personæ inter se differunt. l. Jurisconsultus. ff. de arbo. affi. & dicitur gradus ad similitudinem scalarum graduū, siue locorum procliuum. Sed notandum est quod vna persona eaq; sola non facit gradū propinquitatis quia nullus sibi ipsi propinquus sed alteri. Ideo necesse est, vt plures sint personæ ad faciendum gradum.

Linea quotuplex, & quid eius partes sint.

In consanguinitatis gradibus assignantur lineæ tres. Ascendentium, & descendentium transuersalium siue collateralium, vt in l. Jurisconsultus. ff. de gra. & 35. q. 5. c. 1. & seq. Sed quia propagationis motus non quiescit in vno termino, sed vltro progreditur. Ideo contingit, quod patris est accipere patrem, & filij filium, & sic deinceps & secundū diuersos progressus, diuersi gradus in vna inueniuntur. Et quia gradus cuiuslibet rei, est pars illius rei. Ideo gradus propinquitatis non potest esse, vbi non est propinquitas, &c. est autem.

Ascendentium linea, quando numeramus à filio ad patrem, à patre ad auum, ad proauum & vltra.

Descendentium est, quæ continet in se illos, qui ab eis originem duxerunt, hoc est, quando numeramus à patre ad filium, à filio ad nepotem, à nepote ad pronepotem, &c.;

Collateralium siue transuersalium linea est, quæ continet in se illos, qui à latere nobis conueniunt, à quibus nos non duximus originem, neq; ipsi à nobis, verumtamen ab eodem propagantur, vt frater, soror, ab eodē patre & matre. Hæc linea diuiditur in lineam æqualem & inæqualem.

Æqualis linea est, quando gradus æquè distant à communi stipite, id est æqualiter se habent ad communē parentem, sic quod vna non est remotior quàm altera, vt sunt frater Petrutij & soror, similiter filius fratris Petrutij & filii sororis, vel patruelus & consobrini, qui æqualiter distant à communi stipite scilicet Petrutio. Ratio, quia si, vna & eadem quantitas aliqua duo mensurat. Tunc illa mensurata sunt æqualia, ergo & prædictæ lineæ.

Inæqualis linea est, quando persona, de qua quæritur alias scilicet personas gradu præcedit, id est inæqualiter distāt à communi stipite, ita quod vna est remotior altera, vt cum quæritur de fratre

& fratris prēmortui filio, vel vt est frater Petrutij, & filius fororis Petrutij. Nam prima distat primo gradu, sed filius fororis secundo. Est autem communis stipes amborum, pater Petrutij.

In linea collateralī quomodo considerentur gradus.

Gradus in linea transuersali vel collateralī considerantur secundum quod plures propagantur ab vno. Ideo debent computari secundum comparationem ad vnum principium, ex quo propagantur, sed quia computatio legalis non conformatur Canonica. Ideo illa relicta, hic agemus de Canonica, quæ in contractu matrimonij consideratur, hoc est secundum regulam Canonica. Quod igitur ad causandum nouum gradum, requiruntur duæ personæ. Ratio est, quia canonica computatio numrat gradus ratione matrimonij, sicut enim nuptiæ requirunt duas personas sic quoque duæ personæ simul constituunt vnum gradum, vt frater & soror qui sunt proximi collaterales, constituunt primum gradum, iure videlicet canonico. Hoc enim ius Cano: tantum illud cōsiderat, quod duo fratres vel duæ sorores tribuūt initiū transuersali lineæ, ita tandem consobrini & patruales secundū. Sobrini tertiū, filij sobrinorum, quartum gradum. c. ad sedē. 35. q. 5. sit ergo pro maiori notitia hæc prima regula.

EX QVIBVS REGVLIS intelligantur gradus.

Prima Regula de ascendētibz & descendētibz.

Tot sunt, gradus, quot sunt personæ, connumeratis intermedijs vna persona dempta, quæ sola non facit gradum, neq; pro gradu computatur secun. glo. 1. iurisconsultus. ff. de gra. sed bene est principium gradus, vt prædicatur. Diligenter autem notandū est in ascendētibz & descendētibz. nullam esse differentiam inter ius canonicum & ciuile, datur enim eadem regula vtrinq; & computantur gradus in his lineis, quod vna persona propagetur diuersimodè ab alia.

Exempli gratia.

Filius meus est patri meo in secundo gradu, quia numerando à persona filij mei ad patrem meum, reperiuntur tres personæ, vna dempta, remanēt duæ, & sic in secundo gradu, hoc modo deinceps ascendendo.

DE GRADIBVS

ascendendo & descendendo cum reliquis,

*Secunda Regula de collateralibus in
linea aequali.*

Quarto gradu distant personæ à communi stipite, toto gradu distant inter se.

Exempli gratia.

Ego & soror mea sumus in primo gradu in linea aequali, quia à patre vno tantum gradu distamus, hæc regula mandetur memoriæ, quia valde necessaria est.

Aliud exemplum.

Filius meus & fororis siue fratris mei filia, sunt etiam in linea collateralis aequali. filius enim meus distat à stipite, Patre scilicet meo, in secundo gradu. Eodē gradu distat fratris mei filius à patre meo, Orta igitur questiōe an filius meus potest ducere fratris mei filiam, videndum est quoto gradu inter se distent. Distant autem uterq; tam filius meus quàm fratris mei filia à stipite (patre scilicet meo) in secundo gradu, per primā regulam, distabunt ergo quoq; inuicem in secundo gradu, in linea aequali.

*Tertia Regula de collateralibus in
linea inaequali.*

Quando duæ personæ inaequaliter distant à communi stipite, quoto gradu remotior distat à stipite, toto gradu distant inter se.

Exempli gratia.


Litera C distat à litera A duobus gradibus, & litera D distat ab ipso A tribus. Ideo C distat à D in tertio gradu. c. de consa. et affi.

Aliud exemplum.

Si quæsitum fuerit quoto gradu fratris mei filius distet à mea persona. Videndum est quo gradu ego distem à patre meo & sic communi stipite. Et quia per primam regulam sum patri meo in primo gradu. Videndum nunc erit quoto gradu fratris mei filius distet à patre meo, communi scilicet stipite, Addēda prima regula erit patri meo in secundo gradu, & sic ipse tanquam remotior, distat à communi stipite, patre scilicet meo, in secundo gradu, ergo & nos distamus in secundo gradu scilicet in linea inaequali.

Typus

TYPVS GRADVVM.



NOTA I.

In linea recta ascendentum vel descendentium perpetua est prohibitio coniugij vsq; in infinitum. Vnde si primus homo hodie viueret mortua Eua, cum nulla successione suæ fœmina contrahere, eamq; in vxorem ducere posset. Hanc autem prohibitionem, tam in recta linea descenden: quam ascenden: volunt quidam doctores (presertim Iohan: de Bur: de cogna: carna. c. 9.) durare vsq; ad quartum gradum inclusiue. Quibus contrariantur Io: An: in sum. sua, supra arborem consang. & Affi. & Hoff. in sum eo. tit. §. qui consueuerant. Et horum opinionem credo veriolem, cum tex. iuris ciuilis indistinctè loquatur, & indistinctè matrimonium inter ascendentes infinitum (vt prædictum est) prohibeat l. nuptiæ 4. de ri. nu. Vnde glo. ibi colligit, quod si Adam hodie viueret, non reperiret vxorem, quia omnes descendimus ab eo, & cum Ius ciuile non peperiatur expressè correctum, est que fundamentum supra honestate maxima. Ideo non debemus per generalem dispositionem canonicam contrarium dicere, vt est ar. bo. in c. 2. de despon. impub. Hęc tamen propter hominum breuem vitam raro practicantur secun. D. Nic. de. c. n. p. n. debet. Quod verò dicitur de quarto gradu, hoc in collateralibus locum habet 35. q. 3. c. progeniem & duobus. c. seq. in quibus, dicitur quod olim non solum vsq; ad secundum gradum sed, etiam in quatum erat notitia parentela, extendebatur prohibitio. Et hæc de prohibitione Matrimonij inter ascen: & descen. in infinitum, & inter collaterales inclusiue ad quartum vsq; gradum, salua tamen supra hoc gratiosa dispensatio glo. c. Pitatum. §. sororis 30. §. 3. Etiam si papa velit, quia à naturali iure habet initium, & in veteri fuit prohibitum, ne quis sororem acciperet in vxorem, quod licet de sola sorore sit dictum, tamen appellatione sororis continetur neptis, plura apud Iohan: Cyn. vt supra.

Nota II.

Iure gentium incestum committit, qui ex gradu ascendenti-
um vel descendentium vxorem duxerit, vnde in contrahendis ma-
trimonijs, naturale ius & pudor inspiciendus est. Leuitic. 18.

i

ad-

timonijs, naturale ius & pudor inspiciendus est Leuit. 18. l. adopti-
uus. ff. de ri. nup. §. Ergo non omnes. Insti. de nup.

Nota. III.

*De nominibus in lineis ascenden: &
descen:*

In linea ascendentium hæc sunt nomina ascendendo.

Tritauus	Tritauia
Atauus	Attauia
Abauus	Abauia
Proauus	Proauia
Auus	Auia
Pater	Mater
Filius	Filia.

Hi propriè vocabulo apud Romanos nominantur, Parentes,
Vtterius verò, qui non habet speciale nomen appellatos Maiores.
l. Iurisconsultus. §. parentes. ff. de gradi. affi.

In linea descendentium, hæc habentur nomina descendendo.

Filius	Filia
Nepos	Neptis
Pronepos	Proneptis
Abnepos	Abneptis
Atnepos	Atneptis
Trinepos	Trineptis.

Vltra hos liberi non habent speciale nomen, sed vocantur
posteriores, d. l. Iurisconsultus. §. parentes.

De Affinitate.

Quid sit affinitas.

Affinitatis secundum Canones, est quædam proximitas perso-
narum ex quocunq; coitu consumato, masculi & fœminæ proue-
niens, omni carens parentela, vt notat Tho: 4. sen. di. 4. q. 1. ar. 1. Et
quia vir & vxor efficiuntur vna caro, vnde sequitur, quod sicut
vir secundum carnem omnibus suis consanguineis attinet, & mu-
lier eademratione vt vir consanguineis vxoris. Dicitur enim affi-
nitas quasi duorum in vnũ finem vnitas, eò quod duæ cognationes
diuersæ,

diuersæ, uel per nuptias, secundum leges, uel aliqui per coitum secundum canones copulantur, & alter ad alterius cognationis finem accedit, l. non facile. §. affines. ff. de grad.

Vnde causetur affinitas.

Hæc autem affinitas non causatur ex sponsalibus, sed ex matrimonio per uerba de præsentibus, etiam ante carnalem copulam. Quemadmodum enim ex sponsalibus, in quibus fit quædam pactio conjugalis, contrahitur aliquid affinitati simile, scilicet publicæ honestatis iustitia. Sic per matrimonium affinitas, quæ est aliquid simile consanguinitati, non solum ratione carnalis copulæ, sed etiam ratione societatis conjugalis, secundum quam etiam matrimonium est naturale. Carnalis uero copula extra matrimonium habita, etiam affinitatem causat, ut habetur in c. discretionem, de eo qui cognoscit uxorem suam. & d. Nic. in c. quod super, de con. & affi. eo quod in carnali copula etiam illicita, uir & mulier efficiuntur una caro. Caro. Exempli gratia. N. cognoscens uxorem, ille per coitum fecit omnes cognatos uxoris sibi affines usque ad quantum gradum consanguinitatis. Et similiter mulier cognita a viro per huius copulam reddit omnes consanguineos uiri sibi affines. Ex hoc patet, quod affinitas iuxta prædictam definitionem, proveniat quocumque coitu, non distinguendo an sit uxoreus uel fornicarius unde Apostolus. (1. Cor. 6.) qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur, scilicet per commixtionem seminis & non aliter. Unde quantumcumque uir, claustrum pudoris inuadat & frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas, quia ex tali copula non potest proles (propter quæ causatur affinitas) produci. Huc etiam pertinet, quod quidam dicunt, filiam Io. an. quæ sitiuæ decantasse. Iuxta fontem Acherontis vitulus depastus est non intrauit, sed rigauit quæritur quid iuris; ad quod reponitur ut prædicitur. Hæc & alia habentur in c. extraordinaria 35. q. 3. Pa. c. fraternitatis, de eo qui co. consan. uxo. suæ. Et Io. Cyn. d. lib.

Quam diu duret affinitas.

Affinitas est perpetuum impedimentum, quod perdurat etiam mortua persona illa, qua mediante contrahitur affinitas. 35. q. 14. fraternitatis.

xi §. Quid

Quid perpetuum dicatur.

Dicitur autem perpetuum illud secun. Ioan. Cyn. quod durat vsque ad finem hominis, licet quandoque dicatur perptuum vsque ad 30. annos secun. gl. l. itaque. ff. de do. ma. Affinitas enim precedens matrimonium impedit contrahendum, & dirimit iam contractum eadem ratione, qua & consanguinitas. Sic enim inest necessitas quædam cohabitandi consanguineis adinuicem, ita & affinitibus & sicut est quoddam amicitie vinculum inter consanguineos, ita & inter affines vt in c. qualiter & c. sane 35. q. 3. vbi dicitur, quod æqualiter est abstinendum à consanguineis vxoris, sicut à consanguineis viri. Sic similiter, quo ad consanguineos mulieris. Nam vir & mulier ad imparia non debent iudicari ar. d. c. sane.

Quid notandum sit in affinitate.

In affinitate hoc notandum venit, videlicet quod in ea proprie non sit gradus, sed computantur solummodo personæ à consanguinitate contrahentium. Nam gradus ratione cognationis naturalis dicitur, sed hic nulla est naturalis cognatio, improprie tamen possunt dici gradus. l. iurilconsultus, ff. eod. vt patebit per tertiam regulam infra positam.

Quare sit inuenta arbor affinitatis.

Arbor affinitatis, à Iure Canonico est inuenta, non propter successiones, sed propter matrimonia, quia affines inuicem non succedunt, pertinet igitur ad ius Canonicum, & non ad ius ciuile.

Genera affinitatis qua & quot sint.

Affinitatis genera secundum tres regulas infra positas, quibus ipsa cognoscuntur, tria sunt, sed unum tantum genus videlicet primum, in quo vera stat affinitas, hodie habet prohibitionem de qua Hostien. lib. 4. de affinitate nu. 3. & Barto. fu. in sua aurea armil. c. Matrimonium, secus olim vt in c. contradicimus 35. q. 4.

Primum genus affinitatis quid sit, & in quo consistat.

Primum genus secundum Hostien. est, quod mediante vna persona tantum contrahitur. Nam persona addita personæ per matrimonialem coniunctionem, vel aliter per carnalem seminum commixtionem, primum genus affinitatis constituit.

Exempli gratia.

Frater

Frater meus ducit uxorem Bertham, quæ est mihi in primo genere affinitatis.

Secundum genus affinitatis quid sit.

Secundum genus est, quod mediantibus duabus personis constituitur, persona enim addita personæ per carnalem copulam primo generi affinitatis, secundum genus constituit.

Exempli gratia.

Vxor fratris mei, est mihi & omnibus consanguineis fratris mei, in primo genere affinitatis iuncta, quæ si defuncto fratre meo nubat alio marito, & is erit mihi & omnibus consanguineis meis affinis in secundo genere affinitatis.

Aliud exemplum.

Soror mea habuit maritum, qui est affinis meus in primo genere, ea defuncta, maritus eius duxit aliam, quæ erit mihi iuncta in secundo genere affinitatis. Primo enim generi est addita alia persona, illo marito defuncto, ego hanc viduam ducere possum, non obstante quod est in secundo genere.

Tertium affinitatis genus quid sit.

Tertium genus est, quod mediantibus tribus personis contrahitur, persona enim addita personæ per carnalem seminum commixtionem secundo generi, tertium genus constituit.

Exempli gratia.

Relicta fratris mei, quæ mihi est iuncta in primo genere affinitatis, hæc post mortem fratris nupsit Titio, qui est mihi affinis in secundo genere. Ipsa vxor decessit, Titius itaque aliam duxit, videlicet Semproniam, tunc illa erit mihi & omnibus consanguineis fratris mei, in tertio genere affinitatis. Hanc ego liberè possum ducere in uxorem. Quia prohibitio secundi & tertij generis sublata est.

Quæ & quot sint Regulae, per quas gradus & genera affinitatis

dignoscantur.

Quatuor regulas ponit Hostien. d. lib. eod. tit. per quas dignoscuntur gradus & genera affinitatis.

Primæ regula.

Persona addita personæ per carnis copulam, mutat genus attentionis

gentiæ & non gradum. 35. q. 4. §. hac auctoritate & c. seq. Vnde verus, Mutat nupta genus. sed generata gradum.

Exempli gratia.

Ego & frater meus sumus consanguinei in primo gradu consanguinitatis, frater ducit uxorem, illa uxor est persona addita personæ scilicet fratri meo per carnis copulā, quæ uxore, quo ad me, mutat genus attinentiæ, id est alio genere attinet mihi, quam frater meus, qui est consanguineus meus, illa uero mea affinis, sed non mutat gradum, ita quoque eius uxor, quia sicut frater est mihi consanguineus in primo gradu, sic uxor sua est mihi affinis in eodem primo gradu.

Secundæ regulæ.

Consanguinei uxoris per carnalem copulam fiunt affines marito, & e conuerso consanguinei mariti fiunt affines uxoris primi generis & eiusdem gradus, cuius est consanguinitas ut supra (ad hoc scilicet, ut sicut in consanguinitate usque ad quartum gradum matrimonium inter eos prohibitum sit) unde sequitur quod consanguinei uxoris secundum d. Ni. d. c. quid supra, de con. & affi. non fiunt affines consanguineis mariti, nec consanguinei mariti fiunt affines consanguineis uxoris, ita, ut inter ipsos consanguineos mariti & uxoris matrimonium contrahi non possit. Nam inter consanguineos sponsi & sponsæ nulla est affinitas matrimonium impediens.

Exempli gratia.

Titius ducit Bertham, iam omnes consanguinei & consanguineæ Berthæ sunt affines Titij sed in diuersis gradibus, ita tamen quod Titus mortua Bertha, non potest ducere unam, ex consanguineis Berthæ, quæ fuit Berthæ in primo, secundo, tertio vel quarto gradu consanguineæ. Nec e contra Bertha uidelicet defuncto Titio potest nubere uni ex consanguineis Titij, qui fuit Titio in primo, secundo, tertio vel quarto gradu consanguineus, sed bene consanguinei Berthæ possunt contrahere matrimonium cum consanguineis Titij & e contra. Hinc est quod pater & filius possunt contrahere cum matre & filia, & duo fratres cum duabus sororibus

duo

duo cognati cum duabus cognatis, Auunculus & Nepos cum duabus fororibus, vt hæc omnia probatur apud Host. d. lib. de affini, & 35. q. 4. sane.

Tertiaregula.

Consanguinei vxoris, quoto gradu sunt ipsi vxori, iure consanguinitatis, eodē gradu sunt ipsi marito vxoris iure affinitatis, & è contra consanguinei marito, quoto gradu sunt ipsi marito iure consanguinitatis, eodē gradu sunt ipsi quoq; vxori iure affinitatis 35. q. 2. & 3 de propinquis, & c. qualiter.

Exempli gratia.

Sempronius & Bertha sunt coniuges, frater Sempronij: qui est in primo gradu consanguinitatis cum Sempronio, est in primo gradu affinitatis cum Bertha, & è contra Petrus frater Berthæ, est affinis Sempronij in primo gradu.

Aliud exemplum.

Pronepes fratris vxoris, est ipsi vxori iunctus in quarto gradu consanguinitatis. Ergo ipsius marito in quarto gradu affinitatis iunctus est & è contra, & c. Quapropter non opus est hic declarare gradus per demonstrationem ad oculum, sed si consanguineus tuus duxerit quandam in vxorē, & vis scire quoto gradu sit tibi ista mulier, recurre ad exempla posita supra de consanguinitate, & vide quoto gradu sit tibi consanguineus tuus. Quia, vt dictum est quoto gradu est tibi consanguineus ille, toto, vxor eius est tibi affinis, sic de singulis.

Quartaregula.

Sicut Iure Canonico inter consanguineos vsq; ad quartum gradū consanguinitatis prohibetur matrimoniū, ita quoq; inter affines, sed hodie, vt præactum est, secundum & tertium genus non impediunt, duntaxat primum genus vsq; ad quartum gradū inclusiuè prohibitionem habeat, sicut consanguinitas, & ideo affinitas præcedēs in primo genere duntaxat vsq; ad quartū gradum matrimonium impedit, & dirimit cōtractum, eadem ratione, qua consanguinitas, ex inhabilitatione personarum per statutū Ecclesie, vt habetur in c. non debet. de consang. & affi. nisi Dominus
Papa

Papa dispensaret, quod facilius fit in affinitate quàm consanguinitate, in qua tamen inter ascendentes & descendentes non potest dispensare, in linea verò collateralium consuevit, in tertio & quarto gradu ex causa rationabili, yt habetur apud Vuig. loco supra allegato.

Exempli gratia.

Titius ducit Bertham, iam omnes consanguinei Berthæ sunt Titio in primo genere affinitatis. Bertha defuncta, Titius non poterit ducere sororem Berthæ, quæ est ei in primo gradu affinitatis, neq; sororis filiã, quia in secundo gradu, neq; sororis neptè, quia in tertio gradu, neq; proneptem, quia in quarto, neq; aliquam aliam, quæ fuit Berthæ consanguinea infra quartum gradum inclusivè. 35. q. 5. Porro & è contra defuncto Titio Bertha non potest nubere fratri Titij, aut alteri cuiuspiam qui ei fuit in primo, 2. 3. vel 4. gradu, Has Regulâs plenium habes expositas apud Hostien. d. lib. 5. qualiter ipsa genera

Quæ pena sit illorum, qui in gradibus prohibitis contrahunt matrimonium, & quæ ratione cum illis dispensare liceat.

Si quis inter gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit (iuxta determinationem Con. Tridè, d. sess. de refor. mat.) separetur, & spe dispensationis consequendæ careat, idq; in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit, quod si ignoranter id fecerit, siquidem solennitatis requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subiciatur pænis, Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur cuius salubria præcepta temerè contempserit. Si verò solennitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo & gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimonijs vel nulla omnia detur dispensatio, vel rarò, idq; ex causa & gratis concedetur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes, & ob publicam causam.

Nomina in linea collateralium quæ sint.

Nomina agnatorum, hoc est ex linea Masculina naturum, simul & nomina cognatorum, id est, quæ ex linea fœminina (non distinguendo,

distinguendo, siue in, siue extra matrimonium) originem trahūt, in linea ascendentium & descendentium, paulò supra recensuimus & præmisimus. Nomina verò in linea collateralium, quæ habentur in l. iurisconsultus. ff. de grad. aff. sunt hæc, quæ sequuntur.

Primo in linea proximiori.

2 Fratrum liberi.	} Frater, Soror.	} 1 Patruales.		
			} Vocantur	} 2 Consobrini.
4 Patruelium, vel consobrinorum liberi.				

In linea à parte patris habentur hæc nomina.

Frater	} Patris 1 Aui 2 Proauis 3 Abauis 4	} appella- tur.	} 1 Patruus. 2 Patruus magnus. 3 Propatruus. 4 Patruus maximus, vel abpatruus.
--------	--	--------------------	---

Soror	} Patris 1 Aui 2 Proauis 3 Abauis 4	} dicitur	} 1 Amita. 2 Amita magna. 3 Proamita. 4 Amita maxima, vel abamita.
-------	--	-----------	---

In linea à parte matris, hæc sunt.

Frater	} 1 Matris 2 Auiz 3 Proauiz 4 Abauiz	} vocatur	} 1 Auunculus. 2 Auunculus magnus. 3 Proauunculus. 4 Auunculus maximus, vel abauunculus.
--------	---	-----------	---

Soror	} 1 Matris 2 Auiz 3 Proauiz 4 Abauiz	} est	} 1 Matertera. 2 Matertera magna. 3 Promatertera. 4 Matertera maxima, vel abmatertera.
-------	---	-------	---

Nomina

Nomina verò Affinium sunt. que sequuntur & habentur in l. non
facile ff. de grad. ff.

Fater	Viri & Vxoris	}	}	1	Socer.
Mater					
Mater	Viri & Vxoris	}	}	2	Socrus.
Mater					
Vxor	Filiij & Filiz	}	}	3	Nurus.
				4	Gener.

1. Vxor, liberis ex alia vxore natis } dicitur { 1 Nouerca.
2. Matris, ex alio viro natis. } dicitur { 2 Vitricus.

Eorum vtrunque natos vocamus priuignos & priuignas.

Socer magnus, vxoris auus, & illi Neptis maritus, Progener.

Mariti auus, est socer magnus vxoris, & illa ipsi pronurus.

Vxoris auia, profocrus, & maritus ei progener.

Mariti Auia vxori socrus magna, & ipsa ei pronurus.

Viri frater, leuir, Soror viri, Glos, dicitur.

Hec personæ omnes sunt prohibite vna matrimonium contra
here vsque ad quartum gradum. In lege verò Moyli Leuit. 18. pro-
hibite erant tantum, vxor patris, nurus, nouerca, vxor fratris, pri-
uigna, filia priuigni vel priuignæ, soror vxoris, & colligitur etiam
socrum interdictam fuisse, quia nurus non potest coniungi cum
socero. Ergo eodem modo gener cum socrii prohibetur.

DE DISPENSATIONE.

CAPVT III.

Quid sit dispensatio.

Dispensatio, secundum Canonistas, est communis scilicet hu-
mani & possitui iuris prouida relaxatio, utilitate & necessi-
tate

rate pensata, seu, vt ponit Host. est rigoris iuris, per eum ad quem spectat, misericors & canonicè facta, relaxatio, l. q. 7. §. nisi rigor & c. sequen. Vnde vocatur vulnus, quia vulnerat ius commune, 23. q. 4. ipsa pietas, circa fin. Saluo tamen per omnia iure diuino, quod est indispensabile. Conditor enim iuris positiui, non est institutor diuinæ legis, sicut Deus Hinc sequitur quod in gradibus consanguinitatis vel affinitatis diuina lege prohibitis, omnino nulla admittatur dispensatio, vt tenet glo. in c. literas, de rest. spol. Adde tamen vnum notabile dictum Ioan. And. positum in extraneo loco, scilicet in c. per Venerabilem. Qui filij sunt legitimi. Quod Ecclesia ex causa posset dispensare, etiam in gradibus diuina lege prohibitis, facit tamen vnā differentiam inter gradus lege diuina prohibitos, & eos quos lex humana prohibuit, scilicet quod in prohibitis casibus legis humanæ dispensare possit circa matrimonium vt valeat vt ex tunc, hoc est, quod filij in tali matrimonio ante dispensationem nati, quoque sint legitimi, in alijs diuina lege prohibitis dispensatio non operatur vt ex tunc, sed tantum vt ex nunc, hoc est, quod virtute istius dispensationis illi tantum liberi fiant legitimi, qui post dispensationem nati sint, non autem qui ante. Et dicit hoc esse notandum. Et sic vult. Quod si matrimonium in gradu lege diuina prohibito iam est contractum, quod ex causa posset dispensatio admitti, in contrahendo autem non item. Et Archi. flo. dicit Martinum V. dispensasse cum quodam, qui cum sua germana contraxerat, & consumauerat, sed habito prius peritorum consilio, propter scandala & alia mala vitanda. Ita & Eugc. 4. quorum bullas se vidisse Arch. flo. attestatur 3. parte tit. 1. c. de affi. Et Ioan. Brunelli in suo tractatu de sponsalib. in conclusione 24. sic dicit. Accidit interdum in regno Franciæ. quod fuit dispensatum vt patruus contraheret cum nepte ex fratre, sicut in regno Angliæ aliquando permissum fuit & dispensatum, vt frater fratris mortui vxorem duceret, vt in veteri Testamento contingebat. Sic & Modernus Rex Polouiz exemplo, qui defunctæ vxoris sororem in vxorem duxit, sed hoc facta sunt & fiunt in familijs. Illustrissimorum principum, & in causis apprimè necessarijs & maximè arduis, tametsi hoc videatur durum, propter legis diuinæ prohibitionem.

Quotuplex sit dispensatio.

1. 2.

Di-

Dispensatio duplex est, tacita & expressa, Tacita est quando princeps concessit officium alicui inhabili, vel Papa beneficium, videtur enim dispensare tacite, super illius inhabilitate, nam princeps, qui magistratum ei concessit, omnia agere decreuit. l. quidam. in fi. ff. de i. iudi. l. Barbaticos, ff. de offi. pretor. & ibi. Ias. col. 3

Expressa est, in qua verbum dispensamus, appositum est c. de multa in fi. de præb. c. at si cleri. §. de adulterijs, de iudic. & quando est à parte postulata. c. innotuit. in fi. de elect. De hac duplici dispensatione consulas prædictum Doctorem Petrum Rebuff. lib. & c. vt supra, multum proderit tibi.

Quot & quales sint cause dispensationis.

Tres videntur esse cause dispensationis, Prima est Ratio publicæ pacis, vt si liberi regum vel magnorum principum contrahunt dispensari potest, per textum in c. 2. iuncta glos. ibi. in verbo pacis. Et que notant doct. de desponsat. impub. Potest enim exurgente necessitate, vel pro bono pacis quandoq; recedi à dispositione Canonica vel legali vt 29. per totum.

Secunda est fauor liberorum extali matrimonio iam contracto natorum, ad hæc vt fiant legitimi & admittantur ad successionem, vt colligitur ex dictis Io. An. venerabilem. Qui filij sint legitimi, & Pa. c. literas. de restit. spoliato.

Tertia causa est, quando infideles contraxerunt matrimonia secundum Iura suæ professionis, & postea constante matrimonio conuertuntur ad Christum, dispensatur cum eis, vt huiusmodi matrimonia non dissoluantur, licet sint contra iura positua. Nam cum matrimonia æquæ sint inter gentiles, Saracenos & Iudeos sicut inter Christianos, valent secundum ipsorum iura, & baptismus superueniens non est modus soluendi coniugia, post baptismum, non debent separari. Tolleratur ergo hoc casu, secundus gradus in linea æquali. Item si quis tempore infidelitatis duxit relictam fratris, toleratur post conuersionem. c. gaudemus. & c. fi. de diuortijs, & c. gaudemus, qui filij sint legitimi. Si tamen Saracenus, qui plures vxores haberet conuerteretur ad Christum, cogereetur retinere primam & aliam dimittere. Quia Deus creauit vnū masculum & vnā foeminam. Item si quis secundum Iura infidelium dederit libellū repudij & aliam super induxerit, conuersus ad Christum

Christum teneretur secundam dimittere & ad priorem redire, nisi prior maneret infidelis, nec velit conuerso cohabitare. vel cohabitare quidem veller, sed cum contumelia nominis Christi, vt supra dictum est. Vide Pa. in præallegato loco.

Præterea notandum est, quod apud alios Claris: iuris prudentiæ doctores ponuntur causæ numero Septem, videlicet temporis varietas siue importunitas, quæ rigorem non patitur, de hac in c. quod pro remedio 1. q. 7. Secunda est vtilitas, vt scilicet alij facilius reuertantur ad bonum, de hac in c. ipsa pietas 23. q. 4. Tertia est qualitas personæ meriti & scientiæ, de hac in c. tali. & c. didici 1. q. 7, cum alius æquè dignus & sufficiens non sit. Quarta est necessitas, de hac in dicto. c. tali. Quinta pietas Sexta euentus rei, de quibus Ioan. Vigue: in suis institutio. tit. de virtute iustitiæ ver. 14. §. 5. Septima est multitudo siue scandalum multitudinis de hac in c. vt constitueretur. 50. dist. Nam cauendum est, ne quis nutriatur siue alatur in scādalo. sed quia casus sunt innumerabiles, nec potest certa regula dari ideo standum est in hoc arbitrio boni viri, qui si iudicauerit causam esse rationabilem, dispensatio erit licita, vt in d. Domino sancto 50. dist. Et causa rationabili existēte, prælatus peccat non dispensando ar. ca. quanto. in fi. 3. q. 5.

Ad quem pertineat dispensatio danda.

Videtur itaq; quod dispensatio in dispensante sit actus potestatis iure concessus, & in dispensato dicitur ius priuatum hoc est licentia vel permissio facta contra rigorem iuris, & quia eius est legem interpretari, cuius est condere (vt haberur in l. cum consuetudine ff. de legibus) sequitur quod ad illum pertinet legis interpretatio & dispensatio, ad quem pertinet legis institutio.

Qua & quot requirantur ad dispensationem

Duo autem requiruntur ad iustam & licitam dispensationem, scilicet authoritas in dispēfante, vel ordinaria vel delegata, & causa iusta in dispensato. aliās dispositus non est tutus in foro Dei. Vnde Pe. Rebuf. in sua praxi benef. c. de dispen. ad plu. benef. § 84. ait. Effectus dispensationis est, vt si perperam concessa sit. tam animā concedentis, quam dispensati ad inferos deducat, vbi miserè cruciabuntur. Ex falsa itaq; causa, vel tacita veritate, nulla est dispensatio, vt habetur in c. 2. de filijs presby. lib. 6.

k iij

Quis

Quis sit effectus legitima dispensationis in causa matrimoniali

Effectus dispensationis est, quod contractus fit matrimonium, contrahentes mariti & uxores, liberi inde nati fiunt legitime, cū distinctione de qua supra, scilicet si dispensatio est facta in gradibus à iure diuino prohibitis. Vltioribus tamen, vt si quis duceret relictam patruum legitimantur tantum liberi post dispensationem nati, priores non fiunt legitimi. Si autem dispensatio sit in gradibus à lege Canonica prohibitis omnes fiunt legitimi, per ea quæ decidunt Ioan. An. & Pa. in d. c. per venerabilem.

DE TEMPORIBVS.

CAPVT V.

Quæ sint tempora siue feria in quibus nuptia non debent sollemniter celebrari

Antiquas solennium Nuptiarum prohibitiones ab omnibus obseruari Sacrosancta Synodus Tridentina præcipit Sess. 8. Vnde haud abs re esse putavi in gratiam & specialem fauorem pastorum exprimere & recensere tempora (vt vocant) ferrarū, quæ nuptias sollemniter celebrandas, non patiuntur, causis prohibitionis annexis, Et sunt hæc.

Videlicet:

A Dominica prima Aduentus, vsq; in diem Epiphania. Ab hoc enim tempore, quod est tēpus renouationis Ecclesiastica officia incipiunt, & magnifit Aduentus D. nostri Iesu Christi per quatuor septimanas, eò quod quadruplex sit aduētus filij Dei, sed vltima nunquam finitur, quia sanctorum gloria quæ dabitur in vltimo aduentu, scilicet ad iudicium, nunquam terminabitur. PRIMVS itaq; Aduentus est in carnem, scilicet in vtero virginis assumptam, de quo dictum est, Osanna, filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine Domini. SEC VNDVS in mentē, qui descensus fit quotidie in cordibus fidelium per Spiritum sanctum, de quo Ioan. 14. cap. Ad eum veniemus & apud eum mansionem faciemus, & dicit Sap. 9. Domine emitte sapientiam. vt mecum sit, de his habetur i. bacuc. 2. Si moram fecerit expecta eum. quia veniens veniet, &

NON

non tardabit. **TERTIVS** Aduentus est in morte cuius libet, de quo dicit B. Iacobus cap 5. Patientes estote vsq; ad aduentum Domini. & Matth. 24. cap. Si sciret pater familias qua hora veniret fur, vigilaret utiq; &c. Ideo & vos estote parati, &c. Et iterum Luca 12. Si in prima vigilia venerit, id est, in iuuentute, & in secunda, &c, & ita inuenerit, scilicet in poenitentia. Beati sunt serui illi. **QVARTVS** Serit iu maiestate, qui erit in die iudicij, de illo legitur Esa. 3. cap. Dominus ad iudicium veniet, cum senioribus populi sui. Et notandum est, quod primus Aduentus liberavit animas, Secundus liberat eas à peccatis. Tertius à poena. Quartus corpora liberat. Hæc ille.

Et rursus

A feria quarta Cinerum, vsq; in octauam Paschatis inclusiuè. Hoc enim tempus est tempus Poenitentiae, afflictionis & abstinenti, tunc homines abstinent à carnibus & continent à luxuria, vt probatur apud Guil. Du. lib. 6. c. 28. quod D. Petrus hoc ieiunium primò instituerit. Habet & auctoritatem hoc ieiunium in veteribus libris ex ieiunio Moisi & Heliae & ex Euangelio, inquit August. Epist. 119 vt de Moysè patet Exod. 24. & 34. de Helia 3. Reg. 19. de Christo Matt. 4. Marci 1. Luca 4. De ieiunij præterea, institutione & qualitate abundè tum vel ex Concilio Cabilonen: in c. solent. de con. di. 1. Per octauam verò paschatis quæ officium dominicæ Resurrectionis deuotissimè celebratur, & pertinet ad timorem, quo timemus terribilem sententiam iudicis. Cum enim dicit pater, Rex & iudex omnium resurrexit & abhuc in sigillatione inimicorum dicentium, quando morietur & peribit nomen eius. Tunc magnus erit timor & tremor Vnde & in offertorio dicitur. Terra tremuit, &c. Reliqua apud Du. locis præcitatis.

Item.

A prima die Rogationum, vsq; ad Dominicam Exaudi. Nam per hæc dies secundum Concil. Aurel. debemus ieiunare vel saltem quadragesimalibus, & cappis nigris, non vestibus solennibus, in signum poenitentiae vti. de consiliis distincti. tertia. Rogationes. Præterea omnes debemus à seruilibus operibus vacare, & sicut

omnes

omnes peccauimus & misericordia Dei egamus, ita omnes tam serui & ancillæ, quam viri & mulieres illis dominantes, Litanij & precibus vnanimiter ad Deum fundendis, interesse, ad Deum corda cum manibus erigere, & pro venia supplicare debemus.

Item.

Feria sexta, hoc est dies Veneris cum Sabbatis, in quibus de facto memini multos nuptias celebrasse, quem autem euertum habuerint, extant exempla. Item vigilia (vt vocamus) quarundam festiuitatum, quæ ab Ecclesia præcepta habent ieiunia. His etiam accedunt dies ieiuniorum, Quatuor temporum, de quibus quilibet hoc quod plurimis ignotum est, notet, nempe cum annus solaris quatuor temporum successione dilabatur, scilicet hyemis, in quo semina iaciuntur. Veris in quo seminata prodeunt, & in spicas acuumur. Aestatis, in qua meses albescunt, & falce succiduntur. Et Autumnj, in quo per ventilationem grana à paleis separata, in horreis reponuntur. Sic & magnus vitæ præsentis annus, durans ab initio, vsque ad finem mundi, quatuor temporum varietate mensuratur. PRIMVM tempus fuit deuiationis in genere humano, videlicet ab Adam vsque ad Moysen, in quo declinauerunt homines à cultu Dei, qui vera lux est, facti idololatæ, & nihil illuminationis doctrinæ habentes, simul inutiles facti sunt, nec fuit qui faceret bonum, vsque ad vnũ. Tunc enim reliquit homo creatorem suum, & de lapide dixit. Tu es Deus meus, Hoc tempus, quia fuit ignorantia & cæcitat, bene concordat hyemi, in quo obscuritas regnat. SEC VNDVM tempus fuit reconciliationis, siue renouationis, videlicet à Moyse vsque ad natiuitatem Christi, quo edocti sunt homines per legem & Prophetas de Aduentu Christi, de curatione peccati, & dilectione vnus Dei. Tunc dominus dixit ad Israel Deut. 6. Audi Israel Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias, & doctus est homo, quid sibi ipsi, quid Deo, quid proximo facere teneretur. Postmodum ob eadem causam suscitauit Prophetas, vt scilicet prædicatio hominem magis ab erroribus reuocaret. Hoc tempus concordat cum vere, quod habet aliquid luminis, sed multum obscuritatis. TERTIVM tempus fuit regressionis siue reconciliationis & visitationis, videlicet à natiuitate Christi vsque ad Ascensionem eiusdem, per quam facta est gratia hominibus, & prædicatio

Euan-

Euangelij, de quo dicitur. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Hoc est tempus gratiæ, quia oriens nos visitauit ex alto, in quo tempore Dominus, qui est sol iustitiæ, mundū sua præsentia visitauit, & propria doctrina sufficiēter illustrauit. Hoc tempus concordat cum æstate, in qua claritas regnat. **QVARTVM** est peregrinationis videlicet ab Ascensione Domini vsq; ad diem iudicij, ubi erit consumatio seculi, quod tempus est, habens multum luminis, qua Dei misericordia reuelata sunt diuina mysteria, habet tamen aliquid obscuritatis nostra negligentia faciente, & sic concordat cum autumno, qui habet aliquid obscuritatis, sed amplius claritatis. Vt autē summatim dicatur, In primo tēpore, vigor fidei, flos spei, fructus charitatis frigore infidelitatis exaruit. In secundo, vinea Domini aliquatenus viruit, & floruit. In tertio, virens & florens fructus vberimos attulit. In quarto cadentibus folijs verborum, decolorari cœpit. Hoc de quatuor temporibus quæ cum ieiunio representat ecclesia singulis annis. siue status ecclesiæ per hæc quatuor tempora variatur.

Item.

Speciale restat impedimentum, quod est vel à iure ab homine. A iure utpote prohibetur tempore quadragesimæ, alioq; tempore prohibito contrahi matrimonium, vt prædictum est. Et not. c. capellanus. de fer. c. non oportet, & seq. 3. q. 4. quod est intelligendum, vbi non contractus matrimonij aut coniugum, sed publica nuptiarū solennitas & conuiuia & choreæ atq; solēnis traductio vxoris, coniunctioq; carnalis prohibita censenda sunt. glo. & doct. in d. c. cappellanus.

Ab homine interdum pedimentum, vt si iudex prohibeat ob aliquam causam, ne pars contrahat, antequam de matrimonio fuit cognitum. Si iudex iste habebat causæ cognitionem matrimonij, & tunc si causa sit perpetua, propter quàm interdicitur, & eo casu peccat, qui contra talem prohibitionem contrahit & separabitur matrimonio data sententiā diuortij, & probato impedimento coram iudice ecclesiastico. c. vlt. de mati. contra. in rer. Eccle. contract.

Sverò impedimentum erat temporarium, tenebit matrimonium, vnde hi versus antiqui recensentur:

Ecclesiæ vetitum nec non tempus feriarum,

Impediunt fieri, permittunt iuncta teneri.

Sed in pœnam debet iste contrahens ad tempus separari. c. 1. & 2. de matrimo. cõtra interd. eccles. Angel. Claua. in sua summa, in verb. Matrimoni. 3. ver. impedimentum primum, & seq.

Nota.

In alijs verò temporibus nuptias celebrari permittitur, quas pastores curabunt, vtea, qua decet modestia & honestate fiant,

Sancta enim res est matrimonium, & sanctè tractandum.

FINIS.

INDEX

A.

A nnulus quare datur.	72
Annuli rotunditas quid designet.	79
Adulterium tartareum ne grassetur inter coniuges, quomodo copulatio fieri debeat.	20
Arrha qua dicantur.	38
Affinitas quid sit.	66
Affinitas vnde causetur.	28
Affinitas quam diu duret.	eodem
Arbor affinitatis quare inuenta sit.	68

B.

B igami vtrum sint benedicendi.	26
Bona matrimony qua & quot sint.	35

C.

C onciliorum authoritas quare non sit reijcienda.	3
Clandestina matrimonia quanta peccata pariant.	4
Contrahentes sunt in Ecclesia proclamandi.	5
Contrahentes qua ratione ad fidem castitatis requirendi.	9
Castitas quotuplex sit.	10
Confirmatio matrimony per sacerdotem cum exhortatione.	21
Conclusio benedictionis.	30
Conditio	47
Crimen	49
Casus impotentiae vtrum omnes possint regulis comprehendere.	58
Cognatio quid & quotuplex & quid eius partes sint.	ibidē
Cognatio spiritualis quid sit.	59
Cognatio legalis quid sit.	60
Cognatio naturalis quid & quotuplex sit.	eodem
Consanguinitas quid sit.	590
Consanguinitas vnde dicatur.	eodem
Causa dispensationis quot & quales sint.	76

D.

D ifferentia inter matrimonium initiatum & consummatum.	36
Disparitas cultus siue religionis.	52

Differentia

INDEX.

<i>Differentia inter frig. & males. quæ sit.</i>	38
<i>Dispensatio quid sit</i>	75
<i>Dispensatio quotuplex.</i>	eod.
<i>Dispensatio danda ad quem pertineat.</i>	77
<i>Dispensatio quæ & quot requirat.</i>	eodem.

E.

E xhortatio ad copulandos.	8
<i>Effectus matrimony quis & quotuplex sit.</i>	35
<i>Error.</i>	45
<i>Ex quibus regulis intelligantur gradus.</i>	62
<i>Effectus legitima dispensationis in causa matrimoniali quis sit.</i>	41.

F.

F orma proclamandi dispensatos.	25
<i>Forma benedicendi sponsum & sponsam.</i>	26
<i>Frigiditas post consummatum matrimonium superveniens.</i>	57

G.

G ratia matrimonialis.	3
<i>Gratulatio sacerdotis ad copulatos.</i>	23
<i>Gradus quid sit.</i>	61
<i>Gradus in linea collateralis quomodo considerentur.</i>	62
<i>Genera affinitatis quæ & quot sint.</i>	68

I.

I mpedimentum inter copulandos si sacerdos deprehenderit quid faciendum.	6
<i>Interrogationes necessariae tam ad sponsam quàm ad sponsum. 11. 12. & c.</i>	20.
<i>Iuramentum, quo desponsati sint constringendi,</i>	45
<i>Impedimenta matrimonium impediencia, quæ & quare sint.</i>	50
<i>Incestus.</i>	53
<i>Incestuosi iure civili qui sint.</i>	eodem
<i>Incestuosi iure canonico qui sint.</i>	56
<i>Iustitia publice honestatis.</i>	57
<i>Impotentia coeundi.</i>	eodem
<i>Impotentia utrum requirat dispen.</i>	60
<i>Ius agnationis à quo descendat.</i>	Ius

INDEX

Ius cognationis à quo oriatur. eodem.
 In affinitate quid notandum sit. 68

L.

Ligamen. 54
 Linea quid sit. 60
 Linea quotuplex, & quid eius partes sint. 61
 Linea ascendentum quid sit. eod.
 Linea descendentium quid. eod.
 Linea collaterale vel transuer. quid sit eod.
 Linea aequalis vel inaequalis quid sint. eod.

M.

Matrimonium quid sit. 31
 Matrimonium est sacramentum voluntatis. 1. 32
 Matrimonium quis instituerit. 1. eod.
 Matrimonium vnicum est. 1. eod.
 Matrimonium { Quotupliciter consideretur. eod.
 { Vt est officium naturae quid sit. eod.
 { Quot fines habeat. eod.
 { Vt est sacramentum Ecclesiae quid includat. 34
 { Quis & ob quam causam instituerit. eod.
 { Legitimè contrahendum quae & quot requirat. 36

N.

Nomine cuius copulatio fieri debet. 6
 Nota prima de linea ascen. vel descen. 65
 Nota secunda de eis qui ex grad. ascen. vel descen. incestum committunt. eodem.
 Nota tertia de nominibus in lineis ascen. & descen. 66
 Nomina in lineis ascen. & descen. eod.
 Nomina in linea collaterale quae sint. 72
 Nomina affinium quae sint. 74

O.

Officia naturae cum quibus conueniant. 32
 Ordo sacer. 13

1 3 Pere-

I N D E X.

P.

P eregrini & ignoti qua ratione sint ad matrimonium admittendi.	7
Parochus alterius parochia sponfos non copulet.	eodem
Persona legitima qua dicantur.	36
Parentes vtrum pro filijs possint contrahere sponsalia, & c.	40
Publica honestas.	55
Perpetuum quid dicatur	68
Pœna illorum, qui in gradibus prohibitis contrahunt matrimonium, qua sit, & qua ratione cum illis dispensare liceat.	72

R.

R aptus & eius consiliarij.	53
Regula prima de ascen. & descen.	62
Regula secunda de collateralibus in linea aequali.	64
Regula tertia de collat. in linea inaequali.	eod.
Regula per quas gradus & genera affinitatis dignoscantur, qua & quot sint.	69.

S.

S ponsa debet esse verecunda.	19
Sponsus siue sponsa si fuerint iuuenes, & duxerint senio confectos quomodo examinandi sint.	14
Sponsalia quid, & vnde dicantur.	37
Sponsalia ad quid inuenta.	eodem
Sponsalia quot modis fiant.	eodem
Sponsalia absolutè de futuro tam inter absentes, quam presentes quibus modis fiant.	eodem
Sponsalia quis & quo tempore possint contrahere.	38
Sponsalia per carnalem copulam quid operentur.	41
Sponsalia quos habeant effectus.	eodem
Sponsalia de presenti, quid & qua sint.	eodem
Sponsalia quibus verbis cum absentibus contrahantur.	42
Sponsalia contracta, vtrum, quot & quibus modis possint dirimi.	eodem
Separatio ob frigid. vel malef. quomodo & quando fieri potest.	58
Stipes quid sit.	60

T.

I N D E X.

T.

T raſtatus caularum matrimonialium.	37
Tipus graduum.	64
Tempora quæ ſint in quibus nuptiæ non debent ſolemniter celebrari, adiunctis optimis rationibus	78

V

V itta candida &c. quid deſignet.	1.
Votum	42
Viſ compulſiva.	53

F I N I S.

Coll. Societ. Jeſu. Paderb.

x. 661.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Typis Lamberti Andreae Tru-
dopolitani.

INDEX

T

V

FINIS

Colonie A. ...
Typis Lambertus ...
dopellum.

Handwritten text in a cursive script, likely a historical document or manuscript. The text is written on aged, yellowed paper and is arranged in several columns. The script is dense and difficult to decipher due to its cursive nature and the fading of the ink. The text appears to be a list or a series of entries, possibly related to a historical record or a collection of items. The words are written in a highly stylized, flowing cursive, characteristic of the 17th or 18th century. The paper shows signs of wear, including creases and discoloration, particularly around the edges and in the center. The overall appearance is that of an old, well-used manuscript.

